











ALIMENT  
AUGUS

R. D. JoA  
G

*Bibli*



ALIMENTA PIETATIS  
AUGUSTINIANÆ

OPERA

R. D. JOANNIS GEORGII  
GRUEBER.

ad  
*Bibliothecam Heipertzij.*

ALIMENTA PIETATIS  
AUGUSTINIANAE  
OPERA  
R. D. JOHANNIS GEORGI  
GRUBER

ALIME  
AUGU

CUL  
SANCTI  
SANCTE  
SS. CAN

Meditati  
tutes, nec  
Finem, Velle  
statum Re  
as Sp

S. Augustin  
Canonicor  
de

R. D. J

Ad S. Crucem  
non.

PERM

Impibus F

Typis Joa



ALIMENTA PIETATIS  
AUGUSTINIANÆ

SEU

CULTUS TRIPLEX  
SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI,  
SANCTÆ MONICÆ EJUS MATRIS,  
SS. CANONICORUM REGULAR.

*Quibus accesserunt*

Meditationes, horum Sanctorum vir-  
tutes, nec non Originem, Institutum,  
Finem, Vestes Canonicorum Regularium, Præ-  
stantiam Regulæ S. Augustini, tria Vota, eorum  
ac Spiritus Renovationem pro Praxi  
explicantes,

IN USUM

S. Augustini Amantium, potissimum verò  
Canonicorum Regularium, ac aliorum ejus-  
dem S. Parris Leges sectantium.

OPERA

R. D. JOANNIS GEORGII  
GRUEBER,

Ad S. Crucem Augustæ Vindel. Ord. S. Aug. Ca-  
non, Reg. Presbyteri ac Decani,

PERMISSU SUPERIORUM.

---

L I N C I I,

Sumptibus Francisci Antonii Ilger, Civis &  
Bibliopolæ.

Typis Joannis Adami Auinger. 1744.


ALIMENTA PIETATIS  
AUGUSTINIANAE  
CULTUS TRIPLEX  
SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI  
SANCTAE MONICAE EIVS MATRIS  
SS. CANONICORUM REGULAR.

O. u. H. G. 351



Grex Domini *Simplici*. & ut ita dixerim,  
*pedestri sermone* PABULUM SPIRITALE  
debet accipere.

*S. August. Serm. 78. de Temp.*



R. D. JOHANNIS GEORGI  
GRUBER,  
Ab S. Groen August. Vindel. Ord. S. Aug. G.  
non. Reg. Presbyter. et Decan.  
PERMISSUM EST  
1372 577 01  
L. I. N. C. I. A.  
Sumptibus Francisci Antonii liget, Civis &  
Bibliopola  
Typis Joannis Adam Angerer 1744.



## APPROBATIO.

**C**enseo posse imprimi, si ista videbitur Reverendissimo, Perillustri, ac Magnifico D. Rectori.

CAJETANUS ORSI,  
S. J. p. t. Facultatis Theologicae  
Decanus impria.

) 3

SYL-



# SYLLABUS AUTHORUM,

Qui materiam Alimentis Pietatis  
suppeditarunt.

**S.P.** Augustinus Doctor Ecclesiæ editus Lug-  
duni Anno 1586.

Biblia Augustiniana per P. Davidem Lenfant,  
Ordin. Præd. Parisiis 1670.

Concordantiæ S. Augustini Pars I. & II. per Da-  
videm Lenfant, Ordin. Prædicat. Pari-  
siis 1665.

Milleloquium Veritatis S. Augustini operâ Joan-  
nis Collierii locupletatum, Parisiis 1649.

Ponderationes Concionales in Opera S. Augu-  
stini per Joann. Baptist. Masculum S. J.  
Neapoli. 1652.

Adam. de S. Victore Can. Reg.

Adamus Weberus Præp. Heglw. Canonicus Re-  
gularis.

Alanus de Sominihac Can. Reg.

Ale-

Alexander à Turin  
S. Ambrosius Ep. I  
Jocundus Carrac  
Martinus à Mont  
Alcarius Orden  
Alcarius Tamb  
Augustinus Ma  
S. Basilus E  
V. Beda Prest  
Bernardus C  
S. Bernardus  
S. Carolus  
Carolus Faure  
Carolus Streng  
Celsus Rohm  
Chronicon C  
Cland. Mollin  
Constantinus  
Constitutione  
Constitutione  
Constitutione  
Constitutione  
non,  
Cornelius Batt  
Cornelius Lanc  
stini.  
Cornelius à La  
David Corn  
Dionys Ryk

Alexander à Turre Can. Reg.  
S. Ambrosius Ep. Doct. Ecclesiæ.  
Antonius Carraciolus Cler. Reg.  
Arturius à Monasterio Ord. Min.  
Alcanius Ordeus Can. Reg.  
Ascanius Tamburinus Ord. Vallis Umbrosæ.  
Augustinus Maria Romer Ord. Servorum.  
S. Basilius Episcopus Ecclesiæ Doctor.  
V. Beda Presbyter Ord. S. Benedicti.  
Bernardus Chaignet, Can. Reg.  
S. Bernardus Abbas Clarevall.  
S. Carolus Borromæus.  
Carolus Faure Can. Reg.  
Carolus Stengel. Ord. S. Bened.  
Celsus Rosinus Can. Reg.  
Chronicon Cœnobii Inzkoviani. M. S.  
Claud. Molinet. Can. Reg.  
Constantinus Ghinius Can. Reg.  
Constitutiones Cœn. S. Crucis Augustæ.  
Constitutiones Congregationis Gallicanæ.  
Constitutiones Congregationis Lateranensis.  
Constitutiones Congregationis S. Salvatoris Bo-  
non.  
Cornelius Bartholomæi Can. Reg.  
Cornelius Lancilotus Ordinis Eremit. S. Augu-  
stini.  
Cornelius à Lapide Soc. JEsu.  
David Cornerus Ord. S. Bened.  
Dionysius Rykel Carthusi.

Eligijs Bassæus Capuci  
S. Ephrem Syrus,  
Franciscus Bordonus, Ord. Min.  
Franciscus le Roy, Franc. Pellizarius Soc. JESU.  
Gabriel Pennotus Can. Reg.  
Georgius Maigretius Ord. Erem. S. Aug.  
S. Gertrudis Ord. S. Bened.  
Godeschalvus Holken Ord. Erem. S. Aug.  
S. Hieronymus Ecclesiæ Doctor.  
Hieronymus ab Hirnhaim Ord. Præmonst.  
Hieronymus de Villa Vitis Can. Reg.  
Hilarius à Costa Ord. Minimorum.  
Hugo de S. Victore Can. Reg.  
Jacobus Lobbetius Soc. JESU.  
Ignatius Nason.  
Joannes Bapista Masculus Soc. JESU.  
Joannes Baptista Melegarius Can. Reg.  
Joannes Bedel Can. Reg.  
Joannes Butchius Can. Reg.  
Joannes Cassianus.  
S. Joannes Chrysofomus Ecclesiæ Doctor.  
Joannes de Colle Medio Can. Reg.  
Joannes Ferrandius Soc. JESU.  
Joannes Mauburnus Can. Reg.  
Joannes Nadafus S. J.  
Joannes la Paige Ord. Præmonstrat.  
Joannes Rodulphus Corduba Soc. JESU.  
Joannes Rusbrochius Can. Reg.  
Joannes Trullus Can. Reg.

Je-

Josephus Mozzagrugnus Can. Reg.

S. Isidorus Hispalensis Can. Reg.

S. Ivo Carnotensis Episc. Can. Reg.

B. Laurentius Justinianus.

Leo Rhedunensis Carmelita.

Leonardus Castenet Can. Reg.

Magnus Reichersperg.

Marcus Hieron. Vida

Matthæus Bossus, Canon, Regulares.

Nebrius à Mindelhaim Can. Reg.

Nicolaus Desnos Can. Reg.

Nicolaus Lancicius S. J.

Paulus Æmilius Saracenus Can. Reg.

Paulus Bergomensis Ordinis Eremit. S. Augustini.

Paulus Beurier Can. Reg.

Petrus Forerius. Petrus Comestor, Canonici Regulares.

Petrus Penequin S. J.

Petrus à S. Trudone Can. Reg.

S. Possidonius Ep. Calam. Can. Reg.

Proprium Canonicorum Regularium.

Proprium Patrum Eremitarum S. Aug.

Revelationes S. Birgittæ.

Revelationes S. Gertrudis.

Richar. de S. Victore, Rolandus Viotus Canon. Regul.

Samuel Laberhitel, S. J.

Simplicianus à S. Martino Ord. Eremit, S. Aug.  
Stephanus Tornacensis Can. Reg.

Thomas de Aquin, Ord, Prædic.

Thomas de Kempis Can. Reg.

Thomas de Trugillo Ord, Præd.

Vita S. Mariæ Magdalena de Pazz.

Wolfgangus Eder, Ord, Eremit, S. Aug.




PRO-

PRO  
AUG



Galus amanti  
que in tres p  
ni: ALIME  
STINIAN.E.  
ho laudati S  
libri titulu  
Jura lectur





## PROLOQUIUM AUGUSTINO PHILO.



Rodit amicorum suasu,  
in lucem publicam, at-  
que *Orbi non docto*, sed  
*pio* se sistit liber hic,  
quem nuper meo, tuo,  
imò omnium *Sancti Au-*  
*gustini Hipponensis Pra-*  
*sulis* amantium bono, conscripsi, cui-  
que in tres partes diviso, nomen præfi-  
xi: ALIMENTA PIETATIS AUGU-  
STINIANÆ. Verùm, ut oportunè mo-  
dò laudati S. Doctoris, (a) utar verbis,  
*ne libri titulus vel argumentum in causa*  
*sit, ut lector remoretur, & in medio de-*  
*sistat,*

Proloquium.

sistat, & æque patiatur, ac illi, qui quò  
vadant, nesciunt. Tibi eundem, uti &  
reliqui operis œconomiam paucis decla-  
ro. Statutum animo erat, Magnum il-  
lud Ecclesiæ orthodoxæ Lumen ac Pa-  
rentem meum AUGUSTINUM, San-  
ctam ejus bis Matrem MONICAM, ac  
dignissimos horum non *carne*, sed *spiri-  
tu soboles*, CANONICOS REGULA-  
RES inquam, olim in terra togæ meæ  
ac instituti Socios, sed jam mortalitatis  
& miseræ *Isthmum* prætergressos, san-  
ctisque in cœlo adscriptos, eâ quâ par est  
reverentiâ ac cultu in terris, non tam ipse  
prosequi, quàm ut id ab aliis fieret, im-  
pensè adniti. Quare ceu *promus condus*  
varia hinc inde devotionis exercitia in  
unum libellum, ceu penu quoddam,  
congressi, ut simul prostaret pluribus, quod  
diversis in libris divisim, nonnisi habetur  
à paucis, possétque dein ex eo à quolibet  
depromi, quod velut ALIMENTUM fo-  
vendæ erga hos Sanctos *Pietati pro Ora-  
tione vocali* inserviret: ALIMENTUM  
ajo,

*Proloquium.*

ajo, sicut enim asserente S. P. N. (b) ex carnalibus escis alitur caro, ita ex divinis eloquiis, addo ego, pace tamen & venia, tanti Doctoris, ferventibus ad DEUM & illius Sanctos Alloquiis, interior homo nutritur, & pascitur, atque uti flamma, aut quivis alius ignis accensus fovetur, si ei addantur ligna oleum, aut alius pinguior succus; extinguitur verò, si hujusmodi pabula vel subtrahantur, vel omninò non apponantur, ita maximè, nisi me opinio mea fallat, Pietatis flamma erga S. AUGUSTINUM, S. MONICAM, ac universos Ordinis Canonici nostri SANCTOS in cordibus eosdem amantium, domesticorum præsertim, succendetur, succensa frequenti horum exercitiorum usu nutrietur, conservabiturque.

Porro cum Cœlites non modò oratione, quæ lingua aut voce funditur, coalantur, sed vel maximè illo multò nobiliori, atque à SS. Patribus adeo laudato orandi genere, quod silente lingua, animo duntaxat perficitur, dum aut fidei  
my-

Proloquium.

mysteria aut sanctorum virtutes attenta mente perpenduntur; exercitiis lingua peragendis, ne animus cibo suo vacuus relinqueretur, dum linguæ de pabulo prospicitur, in secunda parte *Meditationes* quasdam de S. AUGUSTINI & S. MONICÆ virtutibus, uti & de SS. CONFESSORIBUS, MARTYRIBUS, VIRGINIBUS *Ordinis Canonici* generatim in certa puncta distributas, subjunxi, deductis ex iisdem certis quibusdam *pro praxi & imitatione* documentis. *Honorare enim & non imitari, nihil est aliud AUGUSTINO (c) quem mendaciter adulari.* Eadem exemplis domesticis non tam illustravi, quàm firmavi, fusiùsqùe subinde excurri, fateor, sed non absque consilio, nam legentibus etiam, non orantibus solummodo, inservire gestit hic, quem manu geris, liber.

Tertia pars complectitur auctarium considerationum de Instituto, Habitu, Spiritu, Functionibus, Regula Canonico-regularium, uti & de tribus reli-

li-

*Proloquium.*

ligiosis votis, Paupertate, Castitate, Obedientia, ac eorundem renovatione, ut chara hæc soboles ac genuini hi filii Proparentis & Legislatoris sui *Spiritu* semel imbuti, habeant, quo eum actionibus piis nutriant, atque in virtutibus sanctis crescant. juxta ipsius S. Doctoris effatum (d) *Nutriments saluberrimis crescimus in Christo, accidentibus bonis moribus & justitiâ Christianâ.* Nec te deterreant repetita in *Documentis practicis* verba ô Religiose Canonice, ceu illa tibi dicta aut scripta non forent, eò quod fieri hujus Cætus alumnus non sis Operam hanc S. AUGUSTINI Cultoribus, atque qui sub ejusdem *Sancta Regula* stipendia merentur, me impendisse scias, quorum antesignani jure *Canonici Regulares* censendi. Interim tibi integrum est *argumentosa* apud instar ea exurgere, quæ statui tuo congrua salutique pronicia futura noveris.

Cæterùm collectanea sunt pleraque ac ut omnia redoleant AUGUSTINUM,  
po-

Proloquium.

potissimum ex vastissimis S. hujus Docto-  
ris AUGUSTINI, ejusque doctrinæ &  
spiritus hæredum *Canonicorum Regularium*  
eruditissimis operibus deprompta. *Sed col-  
lecta grana profunt, & lapides in ordinem  
compositi.* Benè Justus Lipsius in *Politi-  
cis: Lapidés alieni sunt, edificatio mea  
est: Tu Augustinophile, fruerè hoc labore  
meo non parvo, ac utere his Alimentis,*  
ut nunquam in te deficiat *Pietas*

Augustiniana.

(a) in *Psal. 53.* (b) *Serm. II 2. de Temp.* (c) *Ser. 30.*  
inter novos apud Ioan. Nadas, de *Imit. Dei cap. 5.* (d)  
de *Agone Christi cap. ult.*



PARS

# PARS I.

Complectens Alimenta pietatis pro  
Oratione vocali.

A

CUL-

hujus Doct.  
ue doctrine &  
rum Regularum  
compta. Sed col  
videt in ordin  
pius in Pol  
adificatio me  
uere hoc labor  
his Alimenta  
eficiat Pietas

de Temp. (2) Ser.  
Tmi; Dei cap. 5



PAR

*Pars I. Alim. Piet. Augustiniana*

## CULTUS I.

S. Augustino Sacer, divisus in octo dies.

DIES I.

EXERCITIUM I.

*officium parvum novum S. Augustini.*

INVOCATIO.

**S** Alve Pater Sanctissime,  
Et Præfulum Magister,  
*Secliariorum Malle,*  
Ecclesiæ columna,

Episcoporum gloria  
*Doctôrque veritatis,*  
Admitte vota supplicum,  
Precésque filiorum.  
Laudare stat pro viribus  
*Sanctissimum Parentem,*  
Ornare stat pro viribus  
*Mirabilem Patronum.*

AD MATUTINUM.

Amor Nominis JESU accendat præcordia nostra.  
Amen.

ÿ. Domine labia mea aperies.

℞. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

ÿ. Deus in adjutorium meum intende.

℞. Domine ad adjuvandum me festina.

Glo-



*Dies I. Exercitium I.*

3

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio &c. Alleluja.

*A Septuagesima usque ad Pascha.* Laus tibi Domine Rex aeternae gloriae.

H Y M N U S.

**A**urora veris primuli,  
Ætatae tenellæ,  
Ut & juvenus florida,  
Ebulliens calore,  
Non sat pudica fluxerat  
Addicta vanitati,  
Pro more pravi sæculi  
Erroribus referta  
Devota stabat *Manichi*,  
Mens hæresum perita,  
Ceum gemma terris abdita,  
Sub sordibus sepulta  
Laudata Sancta *Trinitas*  
In laude sit tuorum,  
Magno Patri sit gloria  
Et Præsuli corona.

*Antiph.* Invenit *Augustinus* se longè esse à Deo in Regione dissimilitudinis, & respexit eum Dominus, & misit in mentem ejus, & lucebat in eo gratia DEI: & invisibilia DEI per ea, quæ facta sunt, intellectu conspexit, & non tardavit converti ad Dominum.

☩. Elegit eum Dominus Sacerdotem sibi.

☩. Ad sacrificandum ei hostiam laudis,

A 2

Ore-

Oremus.

**A**desto supplicationibus nostris Omnipotens  
Deus, & quibus fiduciam sperandæ pietatis  
indulges, intercedente Beato *Augustino* contue-  
ta misericordiæ tribue benignus effectum. Per  
Dominum nostrum &c.

## AD PRIMAM.

Amor Nominis JESU accendat &c.

ÿ. Deus in adiutorium meum intende.

R. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

## HYMNUS.

**P**Rægnans sacro negotio  
Se sensit admoneri,  
Intus loquente Numine  
Instinctibus supernis,  
Ut provocanti cederet,  
Celsitque provocatus,  
Valere iussit hæresin,  
Traxitque veritatem.  
At Præsul hunc *Ambrosius*  
Decebat, ut doceret,  
Utérque totus melleus  
Is *primus*, hic *secundus*.  
Laudata Sancta *Trinitas*  
In laude sit suorum,  
Magno Patri sit gloria,  
Et Præfuli corona.

An-

*Dies I. Exercitium I.*

*Antiph.* Vulneravit Charitas Christi cor ejus,  
& gestabat verba ejus in visceribus quasi sagittas acutas, tempore accepto exaudivit eum Dominus, & in die salutis adjuvit eum.

*Ÿ.* Tu es Sacerdos in æternum,

*℞.* Secundùm ordinem Melchisedech,

*Oremus.*

**D**Eus virtutum, cujus est totum, quod est optimum; intere per intercessionem *S. Augustini* pectoribus nostris *Amorem* tui nominis, & præsta in nobis religionis augmentum: ut quæ sunt bona nutrias, ac pietatis studio, quæ sunt nutrita, custodias. Per Dominum &c.

**AD TERTIAM.**

Amor Nominis JESU accendat &c.

*Ÿ.* Deus in adjutorium meum intende.

*℞.* Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

**HYMNUS.**

**A** Quis natavit lustricis,  
Baptismatis lavacro,

Nactus *Patrinos* Cælites  
Candore vicit undas.

Jam purus est ex sordido,  
Cælique *Candidatus.*

Peccata tingit lachrymis,  
Ploratque perpetrata.

Est nempè *Pœnitentia*  
Ferventior subinde,

A 3

Quam

Quam segnis *innocentia*

In pace puritatis.

Laudata Sancta *Trinitas*

In Laude sit suorum,

Magno Patri sit gloria,

Et Præsuli corona.

*Antiph* Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderabat magna *Augustini* anima ad Deum vivum. Conversus est ad illum ex toto corde suo, in jejunio, in fletu & planctu. Et misertus est ejus ex alto Dominus, quoniam multus est ad ignoscendum.

ŷ. Justum deduxit Dominus per vias rectas.

℞. Et ostendit illi regnum Dei.

*Oremus.*

**E**Xaudi, quæsumus Domine, preces nostras, quas in Beati Augustini conversione deserimus, & qui tibi dignè meruit famulari, ejus suffragantibus meritis ab omnibus nos absolve peccatis. Per Dominum &c.

### AD SEXTAM.

Amor Nominis JESU accendat &c.

ŷ. Deus in adjutorium meum intende.

℞. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

### HYMNUS.

**U**T totus ipse conflagrat  
Incendiis amoris,

Si

*Dies I. Exercitium I.*

Si conflagrat, cui *roscido*

Cælum pluit *favore*.

Quid eligat? num *vulnera*

*Cruore* purpurata?

Magisne Matris *ubera*

Inebriata lacte?

Quid præferat, vix optio

Permittit eligenti.

Lactatur hîc ab *ubere*,

Potatur hîc *cruore*.

Laudata Sancta *Trinitas*

In laude sit suorum,

Magno Patri sit gloria

Et Præfuli corona.

*Antiph.* Qui vicerit, faciet illum Dominus co-

lumnam in templo suo, & scribet super eum no-

men suum, & nomen civitatis novæ Jerusalem.

Erit fidelis usque ad mortem, & dabit illi coro-

nam vitæ, quam repromisit diligentibus se.

Y. Os justî meditabitur Sapientiam.

B. Et lingua ejus loquetur judicium.

*Oremus.*

**D**EUS, qui diligentibus te invisibilia bona præ-

parasti: infunde per intercessionem *B. Au-*

*gustini* cordibus nostris tui amoris affectum, ut

te in omnibus super omnia diligentes promissio-

nes tuas, quæ omne desiderium superant, conse-

quamur. Per Dominum &c.

## A D N O N A M.

Amor Nominis JESU accendat &c.  
 V. Deus in adiutorium meum intende.  
 R. Domine ad adjuvandum me festina.  
 Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

## HYMNUS.

**P**Ræsul mitrato vertice  
 Virtutis eminentis,  
 Stylo rebelles hæreses  
 Configit, & trucidat,  
 Pelagiana somnia  
 Convellit, & revellit,  
 Tomisque pugnat integris  
 Acerrimisque scriptis.  
 Doctoris inde lauream,  
 Refertque sanctitatis,  
 Utróque par est cæteris  
 Ecclesiæ columnis.  
 Laudata Sancta Trinitas  
 In laude sit suorum,  
 Magno Patri sit gloria  
 Et Præsuli corona.

*Antiph.* In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, & implevit eum Dominus spiritu sapientiæ & intellectu, jucunditatem & exultationem thesaurizavit super eum.

V. Lex Dei in corde ipsius.  
 R. Et non supplantabuntur gressus ejus.

Ore-

Oremus.

**D**EUS, qui per *B. Augustinum* Confessorem  
 tuum atque Pontificem Ecclesiam tuam no-  
 va prole fecundasti, præsta quæsumus, ut ejus  
 intercessione quod ore simul & opere docuit, te  
 adjuvante exercere valeamus. Per Dominum &c.

## AD VESPERAS.

Amor Nominis JESU accendat &c.

ŷ. Deus in adjutorium meum intende.

Ꝟ. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

## HYMNUS.

**A**Tate tandem plurima  
 At non labore fessus,

*Febri* crematur ignea,

An fortè plus *amore*?

Sed nempè *Phœnix gratia*,

*Phœnix scientiarum*

Hac morte fungi debuit,

*Amore concremari.*

Lucem calore miscuit

Virtute claritatem:

Dum stabit orbis, gloriam

Doctoris obtinebit.

Laudata Sancta *Trinitas*

In laude sit suorum,

Magno Patri sit gloria,

Et Præfuli corona.

A 5

An-

*Antiph.* O Doctor optime, Ecclesiæ sanctæ  
lumen *B. Augustine*, divinæ legis amator, de-  
precare pro nobis Filium Dei.

Ÿ. Euge serve bone & fidelis.

℞. Intra in gaudium Domini tui.

*Oremus.*

**D**Eus, qui per os servi tui *Augustini* dixisti:  
Non potest malè mori, qui bonè vixit, ipsius  
intercessione præsta supplicibus tuis perseveran-  
tiæ sanctæ virtutem, ut mors temporalis sit no-  
bis beata immortalitatis principium. Per Do-  
minum nostrum &c.

### AD COMPLETORIUM.

Amor Nominis JESU accendat &c.

Ÿ. Convertete nos Deus salutaris noster.

℞. Et averte iram tuam à nobis.

Ÿ. Deus in adjutorium meum intende.

℞. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

### HYMNUS.

**P**Hœnix ad astra transit,  
Non morte, sed sopore.

Superstes est in filiis,

Et prole numerosa.

Fundator ingens nobili

Sodalium sequelâ,

Cælo receptam regulam

Miraculis probatam,

Spar-



Sparfit per orbis ambitum  
Trans æquor & procellas  
Ultràque solem cognitum  
Propagines levavit.

Laudata Sancta *Trinitas*

In laude sit suorum,

Magno Patri sit gloria

Et Præsuli corona.

*Antiph.* Præsul sanctissime *Augustine*, Canon  
vitæ canonicæ, via morum, Doctor egregie, Lux  
Doctorum, vitæ nostræ decretum, lucerna no-  
stris pedibus, roga Christum pro filiis tuis, ut ipso-  
rum adsit mentibus, & in æterna requie suis jun-  
gat agminibus.

¶ In omnem terram exivit sonus Regulæ ejus.

¶ Et in finem orbis terræ verba doctrinæ ipsius.

*Oremus.*

**D**EUS, qui nos per Evangelium Filii tui, &  
exhortationem *B. Augustini* ad salutiferæ  
Crucis militiam congregâsti. Præsta quæsumus,  
ut ejusdem gloriosi Antistitis muniti præsidii,  
quod ore simul & opere docuit, te adjuvante im-  
pleamus. Per Dominum &c.

### COMMENDATIO.

**V**Ale Pater sanctissime,  
Et Præsulum Magister  
*Seſtariorum malleæ*  
Ecclesiæ columna,

Epi-

Episcoporum gloria,  
 Doctórque veritatis.  
 Laudavimus pro viribus  
 Sanctíssimum Parentem.  
 Ornavimus pro viribus  
 Mirabilem Patronum.  
 Concede vota supplicum,  
 Precésque filiorum,  
 Ut, si pares virtutibus,  
 Simus pares coronis.

## EXERCITIUM II.

## HYMNUS.

**J**ESU piorum sancta fax amantium,  
 Ab igne cujus arsit olim dulciter,  
 Ardétque semper *Augustinus* Pontifex,  
 Tibi per illam supplicantes respice,

Flammis amoris ure nostra pectora,  
 Clavis timoris fige nos cruci tuæ,  
 Ut *Augustino* Patre digni filii  
 Fiamus ejus præmiorum compotes.

Summo parenti sempiternam gloriam,  
 Sed nec minorem concinnamus Filio,  
 Et par utrique prædicetur Spiritus,  
 Cælo, solóque, sæculorum sæculis, Amen. (a)

(a) Ex MS. Libro Bibl. S. Crucis *Augustiæ*.

EXER-

EXERCITIUM III.

*Oratio, qua quisque S. Augustinum in Patronum eligit, suasque ipsi necessitates commendat.*

**O** Cherubice Doctor Ecclesiae S. P. Augustine!  
ecce ego exilissimus omnium Te ex omnibus caeli civibus & ordinum sub tua sancta Canonico-Apostolica Regula militantium, Divis hodie & omnibus diebus vitae meae in singularem meum Patronum eligo & Advocatum, firmiterque mihi propono, Te toto vitae meae tempore singulari cultu venerari, nihil unquam, quod tuo honori adversum est, me facturum, neque ut ab aliis mihi commissis, vel quibuscunque, quantum mihi possibile est, fiat, permitturum; quin potius pro viribus tuum honorem & cultum, ubicunque poterò, propagare conabor, tuarum virtutum exemplar jugiter oculis meis objiciam, illudque in me ipso imitari studebo: Rogo proinde te ex totis cordis mei visceribus, me tametsi indignum in clientum tuorum numerum admittere, mihi in omnibus necessitatibus tuo apud altissimum longè valentissimo praesidio assistere, me ab omnibus corporis & animae periculis eripere, ad extremum usque vitae meae halitum protegere, Deumque mihi propitium reddere digneris, ut sic tandem anima mea corporis soluta ergastulo, tibi  
in

in supernis tabernaculis sociata unico illo & infinito bono, quod Deus solus est, aeternum frui mereatur, Amen.

## D I E S II. EXERCITIUM I.

Rosarium, in quo efficaci S. AUGUSTINI  
intercessione variae à DEO petuntur gra-  
tiae ac virtutes.

### Praxis recitandi.

1. Ad Crucem formato ejus signo dic: In No- mine Patris, qui me creavit, & Filii, qui me redemit, & Spiritus Sancti, qui me sanctificavit. Amen.
2. Ad grana majora recita Pater noster, Ave Maria.
3. Ad grana minora recita unam ex sequen- tibus Salutationibus.

### D E C A S I.

1. **A**ve sanctissime Pater *Augustine* per dul- cissimum cor JESU Christi, plenus gratia & charitate, benedictus es inter Episcopos & Ecclesiae Doctores, & benedictus animae tuae *Sponsus JESUS*, aded à te adamat, atque vicissim ab eo innumeris gratiarum donis exornatus. Beatissime *Augustine* ora pro me cliente tuo, & impetra mihi in hac vita *amore*

*Dei*

*Dei ferventissimum, ac tandem felicem mortem, Amen.*

*Hac salutatio semper est repetenda usque ad illa verba Cliente tuo, tunc nova gratia, ordine infra posito, postulanda.*

2. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *amorem Proximi mei*, ac tandem felicem mortem, Amen.

3. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *Fidem vivam ad credendum fidei nostrae mysteria*, ac tandem felicem mortem, Amen.

4. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *Spem firmam & inconcussam*, ac tandem felicem mortem, Amen.

5. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *Charitatem perpetuam*, ac tandem felicem mortem, Amen.

6. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *Amorem solitudinis ac fugam hominum*, & tandem felicem mortem, Amen.

7. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *continuum auxilium in omnibus necessitatibus meis & aliorum corporalibus ac spiritualibus*, & tandem felicem mortem, Amen.

8. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *abrenuntiationem perfectam rerum transitoriarum*, ac tandem felicem mortem, Amen.

9. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *attentionem sub divina Psalmodia à mentis evagationibus liberam*, ac tandem felicem mortem, Amen.

10. Ave &c. & impetra mihi in hac vita devotionem exemplarem, ac tandem felicem mortem, Amen.

## DECAS II.

1. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *Cor mundum*, ac tandem felicem mortem, Amen.

2. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *Cor contritum & humiliatum*, ac tandem felicem mortem, Amen.

3. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *Cor ad Deum elevatum*, ac tandem felicem mortem, Amen.

4. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *Cor secundum Cor JESU*, ac tandem felicem mortem, Amen.

5. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *charitatem obsequiosam*, ac tandem felicem mortem, Amen.

6. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *conscientiam etiam à venialibus peccatis mundam & innocentem*, ac tandem felicem mortem, Amen.

7. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *constantiam in bonis propositis*, ac tandem felicem mortem, Amen.

8. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *castitatem inviolatam*, ac tandem felicem mortem, Amen.

9. Ave

9. Ave &c. & impetra mihi in hac vita devotionem teneram erga SS. Eucharistiæ Sacramentum, ac tandem felicem mortem, Amen.

10. Ave &c. & impetra mihi in hac vita donum orationis tam mentalis quam vocalis, ac tandem felicem mortem, Amen.

DECAS III.

1. **A**ve &c. & impetra mihi in hac vita donum lacrymarum, ac tandem felicem mortem, Amen.

2. Ave &c. & impetra mihi in hac vita Virtutem humilitatis, ac tandem felicem mortem, Amen.

3. Ave &c. & impetra mihi in hac vita intentionem purissimam in actionibus meis, ac tandem felicem mortem, Amen.

4. Ave &c. & impetra mihi in hac vita intensissimam pietatem erga Conceptionem, labem originaria carentem, purissimæ Virginis Mariæ, ac tandem felicem mortem, Amen.

5. Ave &c. & impetra mihi in hac vita linguæ custodiam, ac tandem felicem mortem, Amen.

6. Ave &c. & impetra mihi in hac vita oculorum mortificationem, ac tandem felicem mortem, Amen.

7. Ave &c. & impetra mihi in hac vita reliquorum sensuum refrenationem, ac tandem felicem mortem, Amen.

B

8. Ave

18 Pars I. Alim. Piet. Augustiniane

8. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *mundi ac rerum mundanarum contemptum*, ac tandem felicem mortem, Amen.

9. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *obedientiam amoris affectu stipatam*, ac tandem felicem mortem, Amen.

10. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *obedientiam cecam, promptam ac perfectam*, & tandem felicem mortem, Amen.

DECAS IV.

1. **A**ve &c. & impetra mihi in hac vita *sanctum odium mei*, ac tandem felicem mortem, Amen.

2. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *inimicorum dilectionem*, ac tandem felicem mortem, Amen.

3. Ave, &c. & impetra mihi in hac vita *pacem internam* ac tandem felicem mortem, Amen.

4. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *perpetuum progressum in virtutibus*, ac tandem felicem mortem, Amen.

5. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *Patientiam in adversis*, ac tandem felicem mortem, Amen.

6. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *pœnitentiam veram*, ac tandem felicem mortem, Amen.

7. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *paupertatem spiritus*, ac tandem felicem mortem, Amen.

8. Ave



8. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *passiones animi edomatas*, ac tandem felicem mortem, Amen.

9. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *puritatem animi*, ac tandem felicem mortem, Amen.

10. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *prudentiam sanam non vanam*, ac tandem felicem mortem, Amen.

## DECAS V.

I. **A**ve &c. & impetra mihi in hac vita *perseverantiam in bono*, ac tandem felicem mortem, Amen.

2. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *Decalogi & Ecclesie Præceptorum* (si Religiosus es) *Regularum & Constitutionum Ordinis mei integram observationem*, ac tandem felicem mortem, Amen.

3. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *spiritum perfectionis Christianæ & Religiosæ*, ac tandem felicem mortem, Amen.

4. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *estimationem & amorem Ordinis mei*, ac tandem felicem mortem, Amen.

5. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *sobrietatem & temperantiam in potu ciboque sumendo*, ac tandem felicem mortem, Amen.

6. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *studium mortificandi corpus*, ac tandem felicem mortem, Amen.

7. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *scientiam salutis*, ac tandem felicem mortem, Amen.

8. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *Spiritum illum*, quo Deo in terris degens, *deservisti*, ac tandem felicem mortem, Amen.

9. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *Spiritum tuum*, *humilitatis scilicet*, & *mansuetudinis*, ac tandem felicem mortem, Amen.

10. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *Spiritum discretionis*, qua *subiectos tibi Clericos & Canonicos*, atque *populum Diœceseos tue rexisti*, ac tandem felicem mortem, Amen.

## DECAS VI.

1. **A**ve &c. & impetra mihi in hac vita *veniam peccatorum vitæ præteritæ*, ac tandem felicem mortem, Amen.

2. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *victoriam contra tentationes*, *castitati repugnantes*, ac tandem felicem mortem, Amen.

3. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *voluntatem resignatam ac divinæ conformem*, ac tandem felicem mortem, Amen.

4. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *victoriam meipsum*, ac tandem felicem mortem, Amen.

5. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *voluntatem ad opera pia promptam*, ac tandem felicem mortem, Amen.

6. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *victoriam malarum cupiditatum*, & *tentationum*, ac tandem felicem mortem, Amen.

7. Ave

7. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *virtutem pro adipiscenda aeterna salute mihi maximè necessariam*, ac tandem felicem mortem, Amen.

8. Ave &c. & impetra mihi in hac vita, *quod ad majorem Dei Gloriam conducit*, ac tandem felicem mortem, Amen.

9. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *zelum animarum*, ac tandem felicem mortem, Amen.

10. Ave &c. & impetra mihi in hac vita *gratiam finalem*, ac tandem felicem mortem, Amen.

## Rosarium aliud brevius S. Augustini.

**P**RO morum conversione & vita piè claudenda, constans *quinque orationibus Dominicis*, in honorem quinque sacratissimorum vulnerum Christi, quibus S. Augustinus addictissimus extitit, & *quatuor decadibus cum dimidia Salutationum Angelicarum*, in honorem quadraginta quinque annorum, quibus S. Augustinus post conversionem suam in terris pœnitens vixit, ac illis elapsis sanctè decessit.

### Praxis recitandi.

Ad majores quinque globulos dicatur Oratio Dominica: ad quadraginta quinque minores Salutatio Angelica. Coronis erit sequens ad S. Augustinum suspirium.

*O amore Divino inflammatissime Augustine, veris pœnitentiæ ac amoris lacrymis, & puro Dei*

calore, cor meum imbue, ut sancta verè pœnitentium & verè amantium morte emoriar!

Ut verò Rosarii hujus sive majoris sive minoris usus magis familiaris reddatur, illicio erit Cæsaraugustanus, ille è Partheniorum Sodalium classe juvenis, cui in Patronum Menstruum obrigerat S. Augustinus. Hic etenim in Pontis cujusdam transitu extremum ab equi ferocientis impetu periculum incurrit, sed equo in transversa trabe subsistente, Patroni ope liberatur, cuius tum opportunè Rosariolum percurrebat. (a)

## EXERCITIUM II.

## HYMNUS.

**R**egularis Clericorum  
 Restitutor Ordinis,  
 Quos in unum prima Patrum  
 Disciplina junxerat,  
 Præfulúmque dignitati  
 Administros fecerat.  
 Qui legentum sensa replet  
 Veritatis lumine,  
 Qui sequentum corda transfers  
 Charitatis fulmine  
 Fac iisdem luceamus,  
 Et flagremus ignibus.  
 Quo vigore contumacis  
 Illecebras sæculi,  
 Et malignè blandientes

De-

Destrueras machinas,  
 Fac eodem vanitatum  
 Vanitates abjici.

Te ducem tot præliorum  
 Quo subacta falsitas,  
 Te Patrem tot laurearum  
 Quo triumphat veritas,  
 Te magistrum Christianæ  
 Prædicamus gratiæ.

Sempiterna sit Beatæ  
 Trinitati gloria,  
 Æqua Patri, Filioque  
 Par decus decus Paraclito,  
 Unius trinique nomen  
 Laudet universitas, Amen. (b)

## EXERCITIUM III.

Oratio.

**S**alve Gemma Confessorum *Augustine*: Lux  
 Doctorum: Scriba vitæ: forma morum:  
 Præsul beatissime: salva filios ac clientes tuos,  
 qui te debitis laudibus venerantur, & organicis  
 modulis tibi complacere nituntur. Salva etiam  
 omnem populum Christianum, qui speciali gau-  
 dio de te repletur, & mirifica facta devota men-  
 te recolit. Meritò tibi ab omnibus laus decan-  
 ratur, cùm omnium salus per te promoveatur.  
 Totius mundi statum tu nunc conspice, & sin-  
 gulis munera à Deo divinæ gratiæ obtine. Præ-  
 cipuo autem patrocínio ordines sub tua Regula

B 4

fun-

fundatos refove, & eos ab omnibus malis protege. Fac eos tuam vitam ac doctrinam sedulo pertractare, ut se tibi hinc & in futuro possint conformare. Tu enim, quamvis de gentili patre, nomine *Patritio* generaberis, per matrem tamen tuam fidelissimam *Monicam* tricesimo tertio ætatis anno ab infidelitatis errore ad Baptismum inducebaris. O ad quam ineffabilem utilitatem Christianitatis exercebas, quoniam te pro Dei domo custodem undique exponebas. Quis Doctorum tantos libros, ut tu, conscripsit, aut tam profundis sententiis de Summæ Trinitatis substantia disputavit. Quis tam vivaciter hæreticorum fallacias superavit, & Ecclesiam Catholicam tanta virtute confirmavit? Quis tot homines Regularibus sanctionibus ita instituit, aut tanta devotione in amore Dei exultavit? Benedicant igitur te Patrem dulcissimum cuncti, qui noverunt nomen tuum. Cordis quoque tui substantia singulariter benedicatur, quod & adhuc mirifica devotione integrum adservatur. Idipsum enim in prolatione verborum *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth* exultare cernitur, & sicut quondam, ita & nunc Salvatorem mundi collaudare nititur. O quibus saltibus, dum adhuc viveres, in Dei amore exultabat, si te defuncto, à motu supernaturali adhuc non tepescit? O amator Christi dignare nobis obtinere divini amoris incendium, &

ab

ab omnibus hujus mundi miseriis præsidium. Devota tibi famulantium præamina noli despiciere, sed dignare nobis cœlica beneficia impendere. Ordinem nostrum *Canonicorum Regularium*, aliasque Religiosas familias sub sancta Regula tua degentes paternè visita, & eis; uti & toti orbi munera tua impetra. Superiores cum inferioribus sanctam vitam fac ducere, & dignare eos ab omni lapsu criminali erigere. Adjuva, ut nullus vota suæ Professionis infringat, sed gratia Domini omnes in bono conservet. Lapsos erige, debiles conforta, & omnibus, quod eis utile ac necessarium fuerit, obtine. Iterum atque iterum dulcissimum te Patrem invoco, & tuæ bonitati me committo. Peto, ut oves paucæ tuæ bonis Domini reficias, & singulis pariter & mihi salutem obtineas. Fac nos inclytam tuam vitam & aliorum Sanctorum imitari, ut vobis in cœlestibus gaudiis mereamur associari, Amen. (c)

(a) *Petrus Penequin. S.I. in Isagoge ad am. div. p. 3. c. 21. n. 31.* (b) *Ex Proprio Can. Reg.* (c) *Ex Pane quotidiano Villa Vitis Can. Reg.*

D I E S III.  
EXERCITIUM I.

*Litania de S. P. Augustino.*

**K**Yrie eleison. Christe eleison.  
Kyrie eleison.

B 5

Chri-

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Pater de cælis Deus, miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.

Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.

Sancta Maria Magistra Doctorum Ecclesiæ, Ora pro nobis.

S. Pater Augustine, Ora pro nobis.

(Artificiosa apis Dei, (a)

Abyssus Sapientiæ, (b)

Angele non naturâ, sed gratia, (c)

Architecte in signis, qui domum Dei suffulisti, (d)

Cujus doctrina Ecclesiæ quasi dos relicta est, (e)

Columna & firmamentum veritatis, (f)

Columna nubis, in qua thronum suum posuit Sapientia Dei, (f)

Doctor magnorum Doctorum à Deo docte, (g)

Disputator subtilissime, (h)

Debellator hæreticorum, (i)

Defensor fidelium, (i)

Flos eloquentiæ venuste, (k)

Eruditorum sanctissime, & Sanctorum eruditissime, (c)

Eructator divinorum Eloquiorum, (b)

(Eruditione divina & humana clare, (l)

S. Augustine

Ora pro nobis.

Fi-



Fidei nostræ defensor, (m)  
 Fidei nostræ propugnaculū magnum, [n]  
 Gloria Sacerdotum, (d)  
 Gemma Doctorum, (d)  
 Hæreticorum venena exhauriens, (o)  
 Homo cœlestis, (b)  
 Homo, qui de fonte divinitatis bibisti,  
 (g)  
 Homo Theodidactos, (c)  
 Imago divinitatis, (b)  
 Illustrissime Latinorum Doctor, (p)  
 Lux mundi, (d)  
 Lucerna super candelabrum Ecclesiæ po-  
 sita, (q)  
 Litterarum omnium Magister egregie, [i]  
 Malleæ hæreticorum validissime, (r)  
 Orphanorum Tutor, (d)  
 Præco magne Verbi Dei, (d)  
 Præcipua portio Sacerdotum Domini, (s)  
 Refugium pauperum, (d)  
 Sapientiæ fructu sæcunde, (k)  
 Sal terræ, (q)  
 Subtilissime Evangeliorum & sacrarum  
 litterarum perscrutator, (t)  
 Pater Pauperum, (b)  
 Ter sancte inter doctos, & ter docte in-  
 ter Sanctos, (g)  
 Cherubim per scientiam, & Seraphim per  
 amoris ignem, (g)

S. Augustine

Ora pro nobis,

S. Au-

S. Augustine Vir sanctissime, [k] Ora pro nobis.

S. Augustine Viduarum Advocate, [d] Ora pro nobis.

S. Augustine Unice Sapientiæ Phœnix, [d] Ora pro nobis.

S. Augustine Apostolici Canonorum Regularium Ordinis Restaurator, [u] Ora pro nobis.

Ad te Pater confugimus, Impetra nobis gratiam,  
Per lachrymas ob tui conversionem à S. Ma-

tre tua Monica effusas,

Per admirabilem vocationem tuam,

Per sanctum Baptismum tuum,

Per sanctam & indubitatam fidem tuam,

Per desiderium, quo ardebas tuendæ fidei  
Catholicæ,

Per sanctos labores, quibus militantem Ec-  
clesiam locupletasti,

Per merita Sanctorum, quos Deo, mundo-  
que peperit Ordo Canonicus, aliæque  
sub tua sancta Regula militantes religio-  
nes,

Ut vota Deo, Virgini Mariæ, tibi que promissa  
servare valeamus, Roga Deum quæsumus.

Ut augeatur in nobis fides, devotio ac deside-  
rium perfectionis, Roga Deum quæsumus.

Ut omnes Ecclesiastici Ordinis tibi peculiari de-  
votione subjecti in sancta Religione perman-  
neant, Roga &c.

Ut Summum Pontificem nostrum, verum Chri-  
sti

Impetra nobis gratiam,

ſti Vicarium omnes nationes venerentur,  
Roga &c.

Ut hymnum, quem cum S. Ambrosio mirabi-  
liter decantâſti, in cœlo, & nos tecum can-  
tare poſſimus, Roga &c.

Ut omnibus benefactoribus noſtris vivis atque  
defunctis ſempiterna bona retribuatur, Ro-  
ga Deum &c.

Ut tuo ſancto ductu ſecuri redeamus ad Patriam,  
Roga &c.

Ut veri filii tui efficiamur, Roga Deum quaſu-  
mus.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce  
nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi  
nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miſere-  
re nobis.

Chriſte audi nos.

Chriſte exaudi nos.

Kyrie eleiſon.

Chriſte eleiſon.

Kyrie eleiſon. Pater noſter.

ŷ. Et ne nos inducas in tentationem.

℞. Sed libera nos à malo.

ŷ. Tu es vir benedictus Domini S. Auguſtine.

℞. Docteur in Eccleſia veritatis.

ŷ. Deus miſereatur noſtri per orationes tuas.

℞. Et illuminet vultum ſuum ſuper nos per lu-  
cernam verbi tui.

ŷ. Uti-

℣. Utinam dirigantur viæ nostræ.

℞. Post vestigia sanctitatis tuæ.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℞. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum

℞. Et cum Spiritu tuo.

*Oremus.*

**D**EUS, qui Beatum Augustinum Ecclesiæ tuæ in exponendis Sacræ Scripturæ mysteriis Doctorem optimum & electum Antistitem providisti: da nobis quæsumus, ejus temper & doctrinis instrui, & oratione fulciri. Per Dom.

*Alia Oratio.*

**D**EUS, qui nos à sæculi vanitate conversos ad statum perfectionis misericordissimè vocare dignatus es, ut tibi soli adhæreamus, tibi vacemus, teque super omnia diligamus, præsta quæsumus: ut sicut te largiente promissurus, sic te juvante conversatione impleamus, rebellem ac superbam inobedientiam refrænantes, lubricam carnis concupiscentiam domantes, curiosam quoque cordis avaritiam penitè abscindentes, in gratia tua proficientes, solo tuo amore ferventes, atque sanctis virtutibus crescentes, quatenus dignis profectibus ad gloriam illam, quam pro te mundum deserentibus promittere dignatus es, per merita & intercessionem *S. Augustini* pertingamus. Per Christum Dominum nostrum. ℞. Amen.

EXER.

EXERCITIUM II.

HYMNUS.

**M**agne Doctor, Christiani  
Lumen ingens nominis,

Da clientes expediri

De tenebris criminum,

Exeditos præpotenti

Nos referri Numini.

Quot per undas jactitarat

Sors juventæ devium,

Quot per æstus impotentem

Sors libido traxerat,

Tot per ignes innocentis

Vis amoris transtulit.

Mirus in te fons lavacri

Nil reliquit noxium,

Nullus error, nulla labes

Sic repurgatum notat,

Ardor unus charitatis

Pectus ingens conficit.

Non bonorum, non honorum

Aut voluptas, aut quies,

Non caducæ membra carnis

Mentis arcent impetus,

Sola vitæ mox futuræ

Vota vitam sustinent.

Magne casti nate luctûs,

Magne lugentum Pater,

Fac

Fac eodem nostra tecum  
Mens anhela spiritu,  
Spernat ima, spectet alta,  
Nec nisi Christum petat.

Sempiterna sit Beatæ  
Trinitati gloria,  
Æqua Patri, Filióque,  
Par decus paraclito,  
Unius trinique nomen  
Laudet universitas, Amen. (w)

## EXERCITIUM III.

*Oratio.*

**O** Nobilissimum lumen & columna fortissima Christianæ Ecclesiæ, splendidior sole, Episcoporum sanctissime Augustine, qui post conversionem tuam aut orabas, aut studebas, aut alios docebas Verus eras hæreticorum malleus, qui forti animo eorum vicisti falsas doctrinas: quamobrem multas passus es insidias, quia etiam maximos pro Ecclesia exantlati labores. Mensam accedebas quasi medicinam sumpturus, singulisque diebus contra carnis tentationes singulare quoddam certamen subibas, jejuniis & orationibus vacans. Multi quidem sanctitate, sapientiæque præclari Doctores Ecclesiæ præfuerunt, sed nullus omnium ingenio tam acutus, sapientia tam clarus, tamque ingeniosus extitit, quàm tu, in cunctis donis tuis nil nisi Dei hono-

no-

norem quærens. Salutaris tua doctrina in so-  
latium nobis Christianis est. Fides certè Ca-  
tholica per eam firmata est. Impetra mihi apud  
Deum, ut virtutes in me multiplicem, manda-  
ta Dei observem, & quod illis contrarium est,  
deponam, ut nunc Dei gratiam, in futuro verò  
ejus gloriam consequi valeam, Amen. (x)

(a) S. Severus Sulpitius. (b) Possidonius. (c) Cornel. Ian-  
senius. (d) Victor Vicensis. (e) Clemens Papa VIII. (f)  
Rupertus Taitiensis Ord. S. Bened. (g) Petrus Ribadeneira  
S. I. (h) S. Paschasius. (i) Cassiodorus. (k) Conc. To-  
tan VIII. (l) Gennadius. (m) S. Hilarius. (n) Thom. de  
villa nova Episc. (o) Venerab. Beda Ord. S. Ben. (p) Conci-  
lium Florentinum. (q) S. Paulinus (r) S. Bernardus. (s)  
S. Prosper. (t) Sixtus V. Papa. (u) B. Pius Papa V. Ord.  
Prad. (w) ex Prop. Can. Reg. (x) Ex libello impresso Ger-  
manico.

## D I E S   I V . E X E R C I T I U M   I .

Prosa.

**I**nterni festi gaudia,  
Nostra tonet harmonia,  
Quo mens in se pacifica  
Vera frequentat Sabbatha,  
Mundi cordis lætitia  
Odorans vera gaudia,  
Quibus prægustat avida  
Quæ sit Sanctorum gloria.

C

Qua

Qua lætatur in Patria  
 Cœlicolarum curia,  
 Regem donantem præmia,  
 Sua cernens in gloria,

Beata illa patria,  
 Quæ nescit nisi gaudia,  
 Nam cives hujus patriæ  
 Non cessant laudes canere.

Quos ille dulcor afficit,  
 Quem nullus mœror inficit,  
 Quos nullus hostis impetit,  
 Nullusque turbo concutit.

Ubi dies clarissima  
 Melior est, quàm millia  
 Luce lucens præfulgida,  
 Plena Dei notitia.

Quam mens humana capere,  
 Nec lingua valet promere,  
 Donec vitæ victoria  
 Commutet hæc mortalia.

Quando Deus est omnia,  
 Vita, virtus, scientia,  
 Victus, vestis, & cætera,  
 Quæ velle potest mens pia.

Hoc in hac valle misera  
 Meditetur mens sobria,  
 Hoc per soporem sentiat,  
 Hoc attendat, dum vigilat,

Quo



Quo mundi post exilia  
 Coronetur in patria,  
 Ac in decoris gloria  
 Regem laudet per sæcula.  
 Harum laudum præconia  
 Imitatur Ecclesia

Dum recensentur annua  
 Sanctorum Natalitia,  
 Cùm post peracta prælia  
 Digna redduntur præmia,  
 Pro passione rosæ  
 Pro castitate candida.

Datur & torques aurea,  
 Pro doctrina Catholica,  
 Quæ præfulget Augustino  
 In summi Regis curia.

Cujus librorum copia  
 Fides firmatur unica,  
 Hinc & Mater Ecclesia  
 Vitat errorum devia.

Hujus sequi vestigia,  
 Ac prædicare dogmata  
 Fidei recta ac fervida,  
 Det nobis Mater gratia, Amen. (a)

## EXERCITIUM II.

Oratio.

S. *Augustine*, qui audita à cælo voce, *Tolle,*  
*lege, tolle, lege,* tulisti, legisti è Paulo, qua-  
 les Regnum Dei possessuri non sint. Inde præ-  
 ni-

nitentium, Doctorum, Episcoporum, ac Religiosorum exemplar, in ultimo vitæ lectulo septem Psalmos Pœnitentiales in conspectu semper positos, profusis lachrymis legebas: ajebasque, neminem, quantumvis nullius sceleris sibi conscius esset, committere debere, ut sine pœnitentia migret è vita. Cujus cor, dum viveret, dilectionis divinæ jaculo transfixum, post mortem in ara collocatum, mire exultare conspectum est, dum *Te Deum laudamus* caneretur, aut coram eo SS. Trinitas celebraretur, aut liber à te de illa scriptus legeretur: atque in illius templi limine cadebant hæretici, divina virtute prostrati. Prosterne in me, quidquid Deo non placet in me: doce cor meum amare, & legere libros, qui ad amorem Dei accendunt: doce de Deo scitè colloqui, doce amare, doce orare. O felicissimi, ô flammei cordis, & in altissimo gloriæ throno à Deo collocata vir! veris pœnitentiæ ac amoris lachrymis, puro Dei calore cor meum imbue, ut sancta verè pœnitentium, ac verè amantium morte moriar! *S. Augustine*, quem S. Gertrudis, gratias Deo pro beneficiis ab illo in te collatis, agens, vidit cum S. Bernardo pulchritudinis gloriâ decorum, & de corde ad cor Dei splendores igneos emittentem, ac radios ab ore spargentem; pœnitentiâ tuâ, quam olim egisti, *cum ignitis Dei amoris fervore* concentum suavissimum edente  
in

in corde tuo, & edocta est divinitus, ea esse signa ignea *ignita eloquentia, qua corda hominum ad amorem Dei inflammabas.* Sim & ego unus ex iis, inflamma & me: Impetra mihi quoque illum sanctum ignem, qui omnem alium amoris ignem in te extinxit, ut cor meum sit aurum hoc igne ignitum in te. *S. Augustine*, qui tuo festo die eidem *Sancta* apparuisti, quasi ambabus manibus cor tuum, amore Dei vulneratum, offerens Deo, in modum Rosæ pulcherri-  
*mæ*, odore suo omnes Cœlites mirificè delectantis, & ab eadem visus es orare Deum pro cordibus illorum omnium, qui per tua merita *divinum amorem* desiderant adipisci. Desidero & ego, & si non desidero, fac ut desiderem: cupio desiderare flagrantissimè. Impetra cordi meo à Deo, ut accendat magis, & exaudiat desiderium verè pauperis, & desiderare id, quod optimum est nescientis cordis mei, Amen. (b)

### EXERCITIUM III.

#### HYMNUS.

**A**ugustine piis *Matris* amoribus,  
Et tam sollicitis empte doloribus,  
Tandem sidereis ne fuge pervicax  
Collum subdere iussibus.  
Frustra spes animum torquet inerior,  
Et hoc quidquid agas, aut fatagas luto,

C 3

Nec

Nec tempus fugiens, nec veniens dies,  
 Quod plenè satiet, dabit.  
 Dum cras inveniam, dum teneo propè,  
 Impotens sibimet, tam repetit diu,  
 Jam sex non refluxo lustra fluunt pede  
 Nec dum quod placeat, videt,  
 Veri cæcus amor, nec patiens premi,  
 Nec pressisse potens, quo cuperet gradum  
 Per diversa trahens, turbinis in modum,  
 Fastum præcipitem rotat.  
 Sanctæ sit Triadi laus pia jugiter,  
 Cujus perpetuo munere machina  
 Triplex hæc regitur, cujus in omnia  
 Regnat gloria sæcula. Amen. (c)

(a) Ex *Adamo de S. Victore Can. Reg.* (b) Ex *anno cœlesti P. Ioan. Nadasî S.I.* (c) Ex *Prop. Can. Reg.*

## D I E S V.

### EXERCITIUM I.

*Aurea messis Honorum S. Augustini.*

**A**uguste Princeps velitum  
 Ecclesiæque lumen,  
 Decora gemma cœlitum,  
 Facundiæque flumen.  
 Qui per nitentis mysticam  
 Prudentiæ lucernam,  
 Densî reatus tetricam  
 Illuminas cavernam,

Et

Et hæresum caliginem  
 Per claritatis astrum,  
 Et cordium fuliginem  
 (Dementiæ catastrum)  
 Demis sereno lumine:  
 Te prædicabo pignus,  
 Qui plenus almo Numine  
 Et hoc honore dignus.

II.

In urbe clara nascitur,  
 E stirpe florulenta,  
 A matre cœli pascitur  
 Per lactei fluenta.  
 Ingressus artis classicam  
 Gymnasticæ coronam,  
 Totam celebris *Africam*  
 Pertranat, atque zonam  
 Partæ meretur gloriæ,  
 At indolis talentum  
*Carthaginensis* Scorix  
 A labe jurulentum  
 Desequit astris. Intimat  
 Pharos sed alma callem,  
 Suadetque nævos eximat,  
 Dillucidetque vallem

III.

Sponte *Mediolanensium*  
 Intrat Magister oras.

*Augustinus*  
 veniens dies,  
 , dabit,  
 teneo prop,  
 petit diu,  
 huant pede  
 teat, videt,  
 iens premi,  
 cuperet gradus  
 nis in modum,  
 rotat.  
 jugiter,  
 achina  
 in omnia  
 ala. Amen. (C  
 an. Reg. (b) Ex  
 Prop. Can. Reg.  
 V.  
 IUM I.  
 S. Augustin  
 rum  
 am,

Hic floridos *Hortensium*  
 Visendo [fallit horas]  
 Fragrantiarum circulos,  
 Quiescit in vireto.  
 Cœlum ministrat furculos  
 Erronei roseto,  
 Et, *tolle librum*, clamitat  
 Arcana vox, soporem  
 Labens ab astis excitat,  
 Et hæresis vaporem,  
 Suscepta libri lectio  
 [Delectat hæc legentem]  
 Eliminat. Refectio  
 Salutis æqua mentem  
 Convertit, hanc *Ambrosius*  
 Confirmat in fluento,  
 Pectusque gloriosius  
 Fit Numinis talento.

## IV.

Etatis annos floridæ  
 Trīginta trēsque natus,  
 Sectæ malagma luridæ  
 Elimat, & Senatus  
 Cœlestis in commercium  
 Accomodat talentum,  
 Et indolis sestercium  
 Vult esse luculentum.  
 Solum revisit patrium  
 Et *Monicam* parentem,

Post-

Postquam salutis atrium  
Ingressus, atque mentem,  
Summo dicavit Numini,  
Amore pectus ardet,  
Sacro propinquum lumini,  
Ne spiritum retardet.

V.

Episcopus *Valerius*  
Dum signa sanctitatis  
Lucere cernit cębrius  
In corde puritatis,  
Divi ministram Numinis  
Investit, & creatus  
Plenus Sacerdos luminis,  
Spe promovente, gratus  
In urbe fundat Ordinem  
Et munit institutis,  
Basisque firmat cardinem  
Molimen in salutis,  
Sanctos requirit yelites,  
Deique complet aras  
Quos post laborem, cęlites  
Translegat ad tiaras.

VI.

Scriptis refutat schismata,  
Et hæresum Nomarchas:  
Per indolis charismata,  
Ecclesię Monarchas

Facundus ore vindicat,  
 Christóque per laborem  
 Multos fideles vendicat,  
 Dum dissipat vaporem.  
 Episcopalis curiæ  
 Assumptus ad tiaram,  
 Infestus est incuriæ,  
 Deique firmat aram.  
 Submissione præditus,  
 In pauperes benignus,  
 Totúsque cælo deditus,  
 Hoc est decore dignus.

## VII.

Dum *Trinitatis* serium  
 Obambulans ad undas  
 Considerat mysterium:  
 Per cochleare mundas  
 Scrobi pusillæ pufio  
 Lymphas tenellus infert,  
 Hæc qualis est illusio?  
 In quantitate differt,  
 Angusta scrobs à flumine,  
 Ephebus hoc rependit,  
 Cor *Trinitatis* gloriam,  
 Hoc haurio profundum  
 Amnisque Vasti scoriam  
 In hunc recondo fundum.

## VIII.

Fato propinquus lachrymas  
 Amoris è profundo

Li-



Litat doloris victimas,  
 Psalmósque corde mundo  
 Davidis [ob piaculum  
 Mœrore pœnitentis]  
 Exolvit, ut miraculum  
 Qui puritate mentis  
 Mortis venustat indicem  
 Imúmque complet annum,  
 Inclinat astris verticem,  
 Ergastulíque pannum  
 Relinquit orbi. Spiritus  
 Aspirat altiorem  
 [Qualem meretur exitus  
 Et sanctitas] favorem.

Coronis.

O Patriarcha velitum  
 Dux candida phalangis,  
 Fulgens tiarâ cœlitum,  
 Qui tot roséta pangis:  
 Elimines caliginem  
 Illuminando pectus,  
 Cor dissipet fuliginem  
 Sit JEsulíque lectus. [a]

## EXERCITIUM II.

Oratio.

O Eximie Doctor, luménque singulare Eccle-  
 siæ, sanctissime Pater *Augustine*! Tu ceu  
 stella in firmamento, ita in Africa ortus es, &  
 luxi-

luxisti, ad hæc in artibus liberalibus probè educatus, sed Carthagine in Manichæorum errores delatus, ferventiori studio S. Ambrosii concionibus intereras, fortassis ut auscultares, an aliquid diceret, quod contrarium eorum sectæ foret. Sed Dei gratia ita S. Præfulis illius cor dirigebat, ut omnes propositæ quæstiones doctrinam illorum ita oppugnarent, ut tu opportuno tempore in fide vera eruditus, Deique dono tui cordis intima ab hæresi illa perpurgata fuerint, ita quidem, ut ferventi desiderio sacri Baptismatis fontem ab ipso Ambrosio petieris. O quanta dulcedine perfundebatur cor tuum, dum Eucharisticum illud *Te Deum laudamus* Ambrosius inchoaret, te accinente *Te Dominum confitemur*. Quale hodie dum non percipis gaudium, quotiescunque per orbem canticum illud in altissimi Numinis honorem decantatur. O sanctissime Pater, magno populi gaudio in Hipponensem Episcopum electe, verè tu es hæreticorum malleus, omniumque orthodoxæ Ecclesiæ hostium mastix. Tu viam demonstrasti perfectionis Christianæ, nec permisisti ullum mensæ tuæ accumbere, qui alienum honorem detraheret. Hinc mensæ tuæ sequens distichon inscriptum

*Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,  
Hanc mensam vetitam, noverit esse sibi.*

Quam-

Quamobrem hujus tui decreti oblitis ajebas, aut versus istos delerent, aut te à mensa surrecturum, atque in conclave tuum concessurum esse. O sanctissime Pater depelle à me, antequam moriar, omnes malas obrectationes, quibus sæpenumero famam proximi mei diminui, ne ultimo in agone eæ mihi objiciantur, adjuva me quoque, ut semper abstinere ab hujusmodi peccatis, ne ob illa æterna puniar pœna. O scutum totius Ecclesiæ Christianæ, quàm pretiosum nobis thesaurum reliquisti in scriptione tot doctissimorum librorum, præsertim Confessionum, in quibus tuam palam confiteris transactam vitam. O S. Legislator, conserva illos, qui sub Apostolica & Canonica tua, quam conscripsisti, Regula vivunt, in sancta illius observantia, ut benè sub illa militantes securi in ultimo decretorio die coram divino tribunali adstent. O sanctissime *Augustine!* qui in convincendis hæreticis & graves labores exantlasti, & plurima subiisti pericula, qui mensam accedebas velut medicinam sumpturus, singularis quoque contra carnis tentationes hostis, eam singulis diebus jejuniis & abstinentiis, domastisti. O cor inflammatum amore divino, O *Augustine!* qui auditis Ecclesiæ cantibus amorphas fundebas lachrymas à pietate dictatas, qui & jubebas, ut pro tuis parentibus preces ac sacra fierent. Testamentum nullum faciebas,

eò

cò quòd nihil rerum temporalium possideres,  
 tibique essent omnia communia. O decus sin-  
 gulare cœlorum, ô inter doctos sanctissime, &  
 inter Sanctos doctissime *Augustine* ! ex intimo  
 cordis mei te saluto. O splendens stella in fir-  
 mamento, accipe benignè clientis tui preces.  
 Impetra mihi, ut Deum illo amem amore, quo  
 tu ipsum prosecutus es, sempérque præstò mihi  
 sis, nunc & in ultimo agone: age ne ulla cir-  
 ca ullum fidei articulum obruar dubitatione;  
 quare constituo te unà cum omnibus Sanctis ex  
 tuo *Canonico* Ordine, ut pro me respondeatis,  
 méque confortetis contra infensissima tela ini-  
 mici hominis, Amen. (b)

## EXERCITIUM III.

## HYMNUS.

**C**Oeli cives applaudite,  
 Et vos fratres concinite,  
 Patris nostri solemnia  
 Anni reduxit orbita.

Hinc ergò Psalmi resonent  
 Hinc lectiones concrepent,  
 Et hymnorum dulcisona  
 Multiplicentur Cantica.

Quod lingua foris personat,  
 Intus affectus sentiat,  
 Nec imitari pigeat.  
 Laudare quod mens approbat.

Hunc

Hunc post mundi curricula  
Cœli suscepit curia,  
Quem cum suis fidelibus  
Jam coronavit Dominus.  
Jungamus preces precibus,  
Conemur totis viribus,  
Ut *Augustini* meritis  
Cœli fruamur gaudiis.  
Præsta Pater piissime,  
Patrique compar unice,  
Cum Spiritu Paraclito  
Regnans per omne sæculum. Amen. (c)

(a) Ex *Ignatii Nasonis Trophæis cœlitum* (b) Ex libro *Germanico inscripto Scala cœli*. (c) Ex *Prop. Canon. Regul.*

*D I E S VI.*  
*EXERCITIUM I.*

*HYMNUS.*

**S**ANCTE, cui tantas lachrymas precésque  
Fudit, & sacrum meruit lavacrum,  
Quem Deo & mundo peperit beata  
*Monica Mater.*

Fac, tuas ædes tuare semper,  
Sísque natorum memor atque custos,  
Supplices & nos veniam precantes  
Ducito ad astra.

Afer

Afer insignis, redimite sacra  
 Infula, & sacro fluvio renate,  
 Mentis obscuris tenebris repulsis,  
 Lumine vero.

Da *Parens* cæcas tenebras fugare,  
 Da sequi lucem, rogitando *JESUM*.  
 Ut tuis tandem meritis queamus  
 Scandere cælum.

Præstet hoc nobis *Pater*, atque *Natus*,  
 Quique procedit *Deus* ex utroque  
 Unus & trinus, vigeátque honore  
 Omne per ævum. Amen. [a]

## EXERCITIUM II.

## Oratio.

**S.** *Augustine*, qui à *S. Lectione* ad sancta cum  
 Alipio miscenda colloquia incalescens, eúm-  
 que accendens, atque ab eo vicissim accensus,  
 narratis & auditis Cœlitum exemplis adeò exar-  
 listi, ut clamares ad Deum: Sagittaveras cor  
 nostrum charitate tua, & gestabamus verba tua  
 transfixa visceribus, & exempla fervorum tuo-  
 rum, quos de nigris lucidos, & de mortuis vi-  
 vos feceras, congesta in sinum cogitationis no-  
 stræ, urebant, & consumebant gravem torpo-  
 rem, nec in ima vergeremus, & accendebant  
 nos validè. Postea etiam cum *S. Monica* Ma-  
 tre tua colloquebaris cogitando & loquendo  
 Deum: & dum loqueremini, attigistis vitam  
 illam

illam modicè toto ictu cordis. Unde dicebas Deo: Domine tu scis, quòd illo die dum talia loqueremur, mundus iste nobis inter verba vilesceret cum omnibus delectationibus suis. O sancte fili, ô sancta Mater, obtinete mihi à Deo tales ictus cordis, tales calores, talia colloquia, inter quæ mihi & iis, quibuscum loquor, dulcescat pretiosus Deus, & vilescat mundus cum omnibus delectationibus suis. Tu de amore Dei loquendum esse suggerens, aiebas lectori tuo. *Rape ad Deum tecum, quos potes, & dic eis: Hunc amemus, hunc amemus. Dic eis ista, & sic eos rape tecum ad Deum, quia de spiritu ejus hæc dicis eis, si dicis ardens igne charitatis.*

*S. Augustine, impetra mihi, quòd olim pro te petiisti. Presentissime & pulcherrime Deus, quid dicit aliquis, cum de te dicit? & va tacentibus de te! Quid mihi es? Miserere ut loquar, ô quam libenter me tuis laudibus totus effunderem! suppliciter rogo, ut non respicias tantùm ad id, quod modò dico, sed ad id: quod dicere opto. Cupio enim desiderio magno de te eloqui, quod oportet & decet. Amo te Deus meus amore magno, magisque te amare cupio: ut totus dulcedine tui amoris plenus, totus flammâ charitatis tuæ succensus, diligam te Deum ex toto corde meo, totisq; medullis precordiorum meorum, habens te in corde, in ore, & præ oculis semper, & ubique. S. Augustine, qui ad cœlestia de divino amore colloquia omnes*

accendens, dicebas & scribebas. *Quod agis tecum, id agendum cum proximo est, hoc est, ut etiam ipse perfecto amore diligat Deum.* Age sancte mi, ut hoc agam, ita fiet, ut etiam dum loquor, agam aliquid, quod placeat Deo, & quod profit proximo, dilecto propter Deum! Amen. (b)

## EXERCITIUM III.

## HYMNUS.

**L**Uctatum satis est, nec fuerit pudor  
 Subjectum placido cedere Numini:  
 Aestus ambiguos tam pudet anxiam  
 Frustra, tamque diu sequi.  
 Nil mortale sonans Ambrosius docet  
 In tranquilla pedem quæ via dirigat,  
 Jam quod fugit, amat: jam quod amaverat  
 Mens altis inhians fugit.  
 Jam casti solium pectoris obtinet  
 Cum spe vera fides, almaque charitas,  
 Quo mox æthereæ vis Sapientiæ  
 Templo confideat suo.  
 Christi solus amor, solus honor placet,  
 Hæc vitæ requies, hic animæ cibus,  
 Hinc præsens humili sit Deus omnia,  
 Dum nil attribuit sibi.  
 Non alter tenebris obsita clarius  
 Sacrorum penetrat lumina codicum:  
 Non alter melius proterit omnium  
 Omnes hæreseon dolos,

Nus-



Nusquam sic alio Christus ovans duce

Refanos toties contudit impetus;

Tôt victrix per eum gratia laureas

Quot pulsata modis, tulit,

Sanctæ sit Triadi laus pia jugiter,

Cujus perpetuo numine machina

Triples hæc regitur, cujus in omnia

Regnat gloria sæcula, Amen. (c)

(a) Ex Prop. Patrum Evem. S. Aug. (b) Ex anno cæ-  
lesti P. Ioan. Nadasi S. I. (c) Ex Prop. Can. Reg.

## D I E S VII.

## EXERCITIUM I.

## HYMNUS.

**M**agnus est Deorum Deus

Magnus & laudabilis,

Magnus est, sed & per ipsum

Magnus *Augustinus* est.

Laudibus Deum colamus,

Laude sanctum Præsulem.

## II.

Quem supernus copiosè

Irrigavit spiritus,

Doctor in magnis ut esset

Maximus Doctoribus,

Ac in bonis pastor esset

Optimus Pastoribus.

D a

III.

## III.

Et recentis & vetustæ  
 Senſa legis explicat,  
 Unde panem vitæ frangit  
 Parvulis petentibus,  
 Atque Salvatoris haustam  
 Addit undam fontibus.

## IV.

Quem Patronum Veritatis  
 Plebs amat fidelium,  
 Hæresis quem falsitatis  
 Odit hostem perfida.  
 Nam suis pravè docentem  
 Colla plantis conterit.

## V.

O columna, lux, decúsque  
 Ac honos Ecclesiæ,  
 Pauperúmque *Clericorum*  
 Viva vitæ Regula.  
 Filiis Deum faventem  
 Fac, Pater sanctissime.

## VI.

Optimóque maximóque  
 Concinamus gloriam,  
 Gloriam *Patri* perennem,  
 Et perennem *filio*,  
 Personent æterna sanctum  
*Spiritum* præconia, Amen. (a)

EXER-

## EXERCITIUM II.

Oratio.

**O** Gloriosum lumen Ecclesiæ, sole splendidius,  
 ô Catholicorum sidus lucidum Piissime Pa-  
 ter *Augustine*, qui æterni luminis splendorem  
 tenebrosis mentibus infudisti, per sanctæ tuæ do-  
 ctrinæ instantiam, & sanctissimæ vitæ exem-  
 plum adjuva nos, in præceptis tuisque doctrinis  
 proficere, & quod eis est contrarium abjicere, ut  
 in præsentis Dei gratiam habere, & in futuro ejus  
 gloriam intueri valeamus.

Clementissime Deus ob merita *S. Augustini*  
 nos clementer visita, & omnes ejus memoriam  
 recolentes latifica: innumerabilium filiorum  
 Regularem observantiam respice: & nullum à  
 spiritualibus disciplinis aberrare permitte. In  
 sanctimoniâ vitæ nos eum sequi concede, & om-  
 nia mala à nobis repelle. Cunctos sub ejus institu-  
 tionibus viventes dignare confortare, & eos fac  
 vota labiorum suorum fideliter observare. Ipse  
 etiam & semper pro nobis ad te intercedere dig-  
 netur, quatenus præsentia & futura bona nobis  
 donentur. (b)

## EXERCITIUM III.

Sequentia.

**I**lluminare Hierusalem, illuminare Sion ele-  
 vate. Luto Pharaonis dux eripitur fidei: Ju-  
 gum Babylonis vi computruit olei, dum *Augu-*  
*stinus*

D 3

*stinus* errorum liber decipula, illecebrarum priorum solvitur macula.

*Monica* matre, *Patritio* Patre, doctissimus Carthagine floruit. Logicæ culmen, Rhetoricæ fulmen in juvene mirabile nituit. Inter hæc, vitiis & errorum capitur diu fallaciis, sed mater lachrymis ipsum Christo parturit iterum plurimis. *Loculus* tangitur, sulcitur: loquens erigitur, matri datur: de portis ut mortis vivum referat, quem mortuum ferverat.

Verbis *Ambrosii* dum compunctis, sacro remedii fonte functus, æterna lucerna cælo celebris, emergit de tenebris. Nam quondam devius, viam Patriæ cælestis monstrat prævius. Nam quibus hæserat, frangit hæreses, Scripturæ clausa referat.

Hosticos ictus pugil invictus, pro fide sustinet & conflictus, vultu disjunctas, caudis conjunctas dum vulpes dissipat, nec compunctas. Industria pastoralis lupos arcet ab oviculis. De tritico doctrinali cibos præbet Christi famulis.

In solarem radium figens intuitum hujus aquilina mens divina prospicit acie. Triadis hic monadem, monadis triadem, ad quem cor direxit, introspexit fidei acie.

Hic flos Doctorum, morum Regula formalis, tuba fidei regalis. Per quem ut Christi fisti regno mereamur, ipsum supplices precamur. Fac

*An-*

*Augustine* divinæ nos gratos majestati, piè me-  
mor exulum, tu lux, tu duxque Præfulum. (c)

(a) Ex Veteri MS. Bibliotheca S. Crucis Aug. (b)  
Ex promptuario Devotionis Davidis Corneri. (c) Ex an-  
tiquo Missali.

## D I E S V I I I .

## E X E R C I T I U M I .

## HYMNUS.

**M**agne Pater *Augustine*  
Preces nostras suscipe,  
Et per eas conditori

Nos transferre satage,  
Atque rege gregem tuum  
Summum decus Præfulum.

Amatorem paupertatis

Te collaudant pauperes,  
Assertorem veritatis  
Amant veri Iudices,  
Frangis nobis favos mellis  
De scripturis differens.

Quæ obscura prius erant

Nobis plana faciens,  
Tu de verbis Salvatoris  
Dulcem panem conficis  
Et propinas potum vitæ  
De Psalmorum nectare.

Tu de vitâ Clericorum  
Sanctam scribis Regulam,

D 4

Quam

Quam qui amant & sequuntur,  
 Vitam tenent regiam,  
 Atque tuo sancto ductu  
 Redeunt ad patriam.

Regi Regum salus, vita,  
 Decus & imperium,  
 Trinitati laus & honor,  
 Sit per omne sæculum,  
 Qui concives nos adscribat  
 Supernorum Civium, Amen. (a)

## EXERCITIUM II.

Oratio.

**S**ANCTE *Augustine* exaudi preces fervorum tuorum. Respice clementer illos, qui tuum implorant patrocinium, & te Advocatum apud Deum habere conantur. Fac nos concordare cum devotione Regis & gestis Italiae, per quos olim exaltabantur tuae reliquae. Dum enim Sardiniam à Saracenis depopulatam agnovissent, & tibi tuis reliquiis nimiam irreverentiam exhiberi intellexissent, maris terraeque periculis se exposuerant, & variis industriis corpus tuum ad *Papiam* detulerunt. Gaudeat nunc hæc inclyta Civitas, quæ thesaurum eximium hæreditavit, & de utroque ordine *Canonicorum* scilicet & *Eremitarum* Cultores tibi ordinavit. Complaceat & tibi, dum Canonici chorum unum Eremitæ alium in  
 tuâ

tuâ laude occupant, & decenter te dulcissimum *Patrem* honorificant. Adjuva, ut observantia filiorum tuorum non deficiat, sed tua assistentiâ eos ab omni malo custodiat. Fac ut cordis tui fervorem contemplantur, & devotionis tuæ ingentem devotionem imitentur. Quamvis carne sis solutus: adhuc tamen cor tuum in Monstrantiâ repositum sub devotis carminibus resultat, & cum cantantibus Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth quodammodo concantat. Cantemus & nos ô fratres cum Patre nostro laudem, & quamdiu fuerimus, demus ei honorem. Honor sit tibi ô Rex noster, qui cœlum & terram possides, & Sanctos tuos mirificis gaudiis reple. Honor sit tibi, qui in Translatione sancti *Augustini* mira miracula demonstrabas, & populum tuum miro tripudio latificabas. Honor sit & cunctis civibus cœlestibus, quos satiasti æternis contolationibus. Honor specialis sit etiam piissimæ Matri *Monica*, quæ multo imbre lachrymarum tam præclarum Doctorem nobis regeneravit, & universum orbem per ejus sanctitatem illuminavit, Amen. (b)

## EXERCITIUM III.

*Epicinium.*

**D**E profundis tenebrarum  
Lumen mundo exit clarum  
Et scintillat hodie

D 5

Olim

Olim quidem vas erroris  
*Augustinus*, Vas honoris  
 Datus est Ecclesiæ.  
 Verbo Dei dum obediat,  
 Statim credit, & accedit  
 Ad baptismi gratiam.  
 Quam imprimis tuebatur,  
 Verbis, scriptis, execratur  
 Erroris fallaciam.  
 Firmans fidem, formans mores,  
 Legis sacræ perverfores  
 Verbi necat gladio.  
 Obmutescit *Fortunatus*,  
 Cedunt manes & *Donatus*  
 Tantæ lucis radio.  
 Mundus marcens & inanis  
 Et doctrinis doctus vanis  
 Per pestem hæreticam,  
 Multum cœpit fructum ferre,  
 Dum in fines orbis terræ,  
 Fidem sparfit unicam,  
 Clericalis vitæ formam  
 Conquadravit juxta normam  
 Cœtûs Apostolici.  
 Sui quippe nil habebant  
 Tanquam suum, sed vivebant  
 In commune Clerici.  
 Sic multorum pro salute  
 Diu vivens in virtute



Tandem bonâ senectute  
Dormivit cum Patribus,  
In extremis nil legavit,  
Qui nihil suum aestimavit,  
Imo totum reputavit

Commune cum fratribus,  
Salve gemma Confessorum,  
Lumen Christi, vox cælorum,  
Tuba vitæ, Lux Doctorum  
Præsul beatissime,  
Qui te Patrem venerantur,  
Te ductore consequantur  
Vitam, in quâ gloriantur  
Beatorum animæ, Amen. (c)

#### EXERCITIUM IV.

*Oratio.*

Veneror & saluto te, ô Beatissime Pater *Augu-*  
*stine* per dulcissimum Cor Jesu Christi, &  
ex animo tibi gratulor de illo honore, quo in die  
assumptionis tuæ ad cælum, à Deo & totâ Cæli  
curiâ affectus es. In augmentum gaudii & gloriæ  
tuæ offero tibi idipsum superdignissimum cor JE-  
su Christi, rogans, ut Deum pro me exorare, mi-  
hi que in morte meâ assistere digneres, Amen. (b)

#### EXERCITIUM V.

*Salutatio.*

SALVE inter summos *Numen* venerabile divos,  
*Augustine* Pater: tua præstans gloria fama,  
Quo

Quo quemquam aspirare nefas, sese extulit alis,  
 Ne tibi quis veterum certaverit, omnia cedant  
 Secla, ne invident primos tibi laudis honores.  
 Tu lux, tu fulgur penitus caligine mensis,  
 Tu claram rebus lucem das, atque nigrantem  
 Eloquio noctem insigni, tenebrasque resolvis,  
 Te nunquam ullius fando violentia vicit,  
 Te nulla incautum veri sub imagine fugit  
 Pellacis hostis fallacia: solvere nodos,  
 Tu bonus atque dolos verborum aperire latentes,  
 Tu mulcere potens hominum fera pectora, dictis  
 Exacuens, animosque rudes formare colendo,  
 Amen. (c)

## EXERCITIUM VI.

Oratio.

EX intimis cordis mei Deus meus adoro, lau-  
 do, & benedico te, gratiasque ago infinitæ  
 bonitati tuæ, qui sanctissimum Confessorem tu-  
 um atque Pontificem *Augustinum* in servum ti-  
 bi fidelissimum, cui eruditionis sanctæ talenta  
 tua committeres, ab æterno elegisti, nec gene-  
 rali quâdam ac multis communi tuâ gratiâ tan-  
 tum, sed multis etiam gratiarum præ eminentiis  
 hunc inter adoptionis filios singularem tibi con-  
 stituisti amicum, quem vitæ innocentiam decora-  
 res, atque à peccatis gravioribus tuâ gratiâ serva-  
 tum, virtutibus donisque tuis præstantioribus  
 ditares: Tu enim Domine Deus meus hunc no-  
 bis

bis infirmioribus, ad sanctitatis jubar, in bene  
vivendi normam, in devotionis denique exem-  
plar dedisti. Tu signis ac prodigiis hunc tam in-  
vitâ quàm post mortem gloriæ tuæ sempiternæ  
participem fecisti, quapropter Clementissime  
Domine Deus meus, per illius sanctimoniam,  
per virtutes ejus & merita, quæ tua in illo gratia  
perbenignè operata est, obsecro te, da mihi in  
omni devotione & virtute illius imitari vestigia,  
& post mortem misericorditer à te recipi in gau-  
dia sempiterna. Rogo quoque te, Præsul san-  
ctissime *Augustine*, memor esto meæ fragilitatis,  
& precibus tuis adjuva me, ut Domino meo JE-  
su Christo, & totus & semper perfectissime com-  
placeam, Amen. (f)

E X E R C I T I U M VII.

*Ex præfatione Missæ in Festo S. Augustini.*

**V**erè dignum & justum est, æquum & saluta-  
re, nos tibi semper & ubique gratias agere,  
Domine sancte Pater, omnipotens, æterne De-  
us: quia vas electionis tuæ & Lux Doctorum  
mellifluus *Augustinus* toto orbe terrarum radio  
miræ claritatis refulsit, & Ecclesiam sanctam fidei  
orthodoxæ verè *Augustinus* illustravit, destruxit  
hæreses, errores repulit, hæreticósque prostravit,  
ac status fidelium universæ Christianæ vitæ *An-*  
*gustinus* moribus decoravit, Clericos docuit, Lai-  
cos monuit, devios in viam veritatis reduxit,  
cun-

cunctorumque conditionibus salubriter providendo tuam in hoc mari naviculam *Augustinus* providè gubernavit. Et ideo cum Angelis, & Archangelis, cum Thronis & Domnationibus, cumque omni militiâ cœlestis exercitus, hymnum gloriæ tuæ canimus sine fine dicentes &c. (g)

(a) Ex Prop. Canon. Regul. (b) Ex pane quotidianis Hieronymi Villa vitis Canon. Regul. (c) Ex Proprio Missalis Patrum Erem. S. Aug. (d) Ex insinuat. S. Gertrudis. (e) Ex Marco Hieronymo Vida Canon. Regul. (f) Ex Part. 4. Solem. Convivo. Nicolai Montmorency. (g) Ex Proprio Missal. Ord. Eremit. S. Aug.

## COROLLA DIVINI AMORIS.

*Tribus Decadibus distincta.*

**F**ertur *Augustinus*, plurimum Virorum fide dignorum apud P. Cornelium Lancilottum, (a) testimonio, quodam tempore Vocem Dominicam audivisse, quæ illum alterius Petri infra super amore ipsius in Deum tribus vicibus hunc in modum interrogat. *Augustino amas me?* cui ille amoris sui intensiorem reponens, tantâ se dilectione in Deum ferri, subjecit, ut, (quod fieri non potest) si Deus foret, & Deus *Augustinus*, omnino vellet fieri *Augustinus*, quò is fieret Deus. Hoc *Augustini* exemplo quidam allekti, ut & ipsi amorem suum erga Deum, omni dilectione dignum, probarent, ceu à Dilecto

tu o

suo JESU interrogati, an & qui ipsum ament, sibi ipsis ferventi corde ac ore per varios amoris actus, in hunc finem collectos atque in modum *Corolla* redactos, respondent.

*Praxis recitandi.*

**E**fformato salutiferæ Crucis signo, ad Triamajora grana JESUM, te interrogantem, ausculta.

*Fili aut filia amas me?* ad quod amabile quaesitum intimo animi sensu respondebis ad Minora grana.

DECAS I.

**1.** TU scis, ô Domine, speciose præ filiis hominum, quia amo te præ oculis meis, & præ omni, quod est aspectu delectabile. Averte oculos meos, ne videant vanitatem.

**2.** Amo te, suavissime JESU, præ omni dulcedine & gustûs suavitate: amore tui ab omni excessu & sensualitate ciborum temperabo, ut gustem, quam suavis sit Dominus.

**3.** Amo te, ô Sponse, qui pasceris inter lilia, præ omnibus odoramentis & florum fragrantia: trahè me in odorem unguentorum, id est, virtutum tuarum.

**4.** Amo te supra omnem harmoniam & musicorum concentum: ut sonet vox tua in auribus meis, eas lubens occludam detractionibus & obscænis canticis.

5. Amo

5. Amo te super omnes spurcas & brutas carnis voluptates, atque præ omnibus corporis mei commodis.

6. Amo te, mi JESU, præ omnibus mundi divitiis & omnibus honorum titulis.

7. Amo te, ô Deus, præ valetudine & omnibus corporis mei membris, imo plus vitâ & animâ meâ.

8. Amo te, Deus meus, etsi parum est, amem validius. (a)

9. Amo te Deus, & nihil cupio præter te Domine. Præbe mihi cor tuum, & accipe meum (b)

10. Amo te, diligo te, & magis amare desidero: percussisti enim cor meum verbo tuo, ut amarem te. (c)

## DECAS II.

*Fili, vel Filia amas me?*

1. **A**Mo te, ex totâ memoriâ meâ, nec unquam potero tui oblivisci, qui mei dignatus es recordari. *Vbi expendenda omnia beneficia tibi præstata.*

2. Amo te, ex totâ mente, tui duntaxat cognitioni ac operum tuorum in hærendo.

3. Amo te ex toto corde, flagrantissimo voluntatis actu in te jugiter exardescendo.

4. Amo te ex totis viribus, omnes corporis & animi facultates in amore tui impendendo.

5. Amo te præ omnibus propinquis, amicis &

& benefactoribus, quia infinities plus tibi præ his obstrictus sum.

6. Amo te teneriùs quam Sponsus Sponsam, Parens filium unigenitum, aut filius parentem dilectissimum.

7. Amo te plusquam cœlum, quod sine te infernus mihi videretur, plusquam mundum universum, imo plus quam omnes creaturas.

8. Amo te, quia Deus es. Amo te æternitas mea, quia æternus es. Amo te immensitas mea, quia immensus es. (d)

9. Amo te Deus meus, & in amoris signum gratulor tibi divinitatem tuam, simplicitatem tuam, æternitatem tuam, omnesque tuas perfectiones, quæ ita sunt in te, ut idem sint, quod tu. (e)

10. Amo te JESU mi. Hactenus quosdam amavi, qui me non amabant, jam te amo, & amabo, amator æterne, qui me amasti, antequam te novissem, quem amare virtus summa est, à quo amari felicitas. (f)

### DECAS III.

*Fili, vel Filia amas me?*

1. **U**Tinam nihil amem præter te: nam minùs te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.

2. Utinam amem te amore casto, ut te amant SS. Virgines.

E

3. Uti-

3. Utinam amem te amore forti, sicut te amârunt omnes sancti Martyres.

4. Utinam te amem amore constanti, sicuti te amârunt omnes sancti Confessores.

5. Utinam amem te amore filiali, sicut te amârunt omnes sancti Apostoli.

6. Utinam amem te amore ardentissimo, sicut te amant Cherubim & Seraphim.

7. Utinam amem te amore perfectissimo, sicut te amavit sanctissima Virgo & Mater tua **MARIA.**

8. Utinam amem te amore, quo te amârunt, & omni æternitate amaturi sunt omnes Cœlestis civitatis incolæ.

9. Utinam si possem, Deus meus, retrovertere annos meos, & peractæ ætatis spatia amoris tui actibus replere. O si te semper dilexifsem, cùm alia extra te dilexi. (g)

10. Utinam ultimus halitus, quo animam efflabo, halitus amoris sit. Moriar amore tuo, Deus meus: & quia vitam ab amore non inchoavi, da mihi vitam amando finire. Ultimus vitæ actus sit amare. (h)

(a) *Lib. 3. vita S. Aug. c. 42.* (b) *SS. Aug. lib. Medit. c. 18.* (c) *c. 35.* (d) *Cardin. Bona in Viâ Compendii ad Deum.* (e) *idem.* (f) *idem.* (g) *idem.* (h) *idem.*



A P P E N D I X.

Methodus, quâ devotè Festum S. Augustini ac septem subsequentes dies transigi valeant.

1. **S**eligendum unum tantùm peccatum veniale, à quo saltem per Octavam S. Augustini prorsus abstinenceatur. Hoc autem sit, ne in rebus ad divinum cultum spectantibus, hoc toto tempore peccetur venialiter, hoc est in Choro, in Meditatione, sacro, examinibus, coronis, Communione.

2. Per actus positivos. sapiùs in die iteratos, saltem tot vicibus, quot vixit annis S. Augustinus (76. ejus fuisse tradunt vitæ illius Scriptores) probando mente omnia, quæ videmus fieri, dici, omitti ab aliis, exceptis manifestis peccatis. Hoc est, omnia excusando. vel laudando sola mente. Id enim est valdè necessarium, plusquam omnia alia. Ex cujus neglectu oriuntur multæ Dei offensæ, judicia temeraria, detractiones mentales, detractiones verbales, malæ informationes, & impedimenta multarum rerum bonarum. Vel si hoc non placet, eliciendi sunt toties actus alicujus alterius virtutis in honorem S. Augustini.

3. Petendum à Deo breviter & ardentè, toto hoc tempore, ut per merita Christi JESU, & per merita ac intercessionem S. Augustini concedat nobis illam virtutem, quâ ipse S. Augustinus

*stinus* maximè placuit Deo. Tempora autem id petendi sint hæc: Primò: In matutina visitatione SS. Eucharistiæ Sacramenti. Secundò: In colloquio meditationis. Tertio: In sacro immediatè post Elevationem, & iterum, dum Sacerdos sumit SS. Sanguinem.

4. In fine examinum Conscientiæ, & vespertina visitatione SS. Eucharistiæ in Choro aut Ecclesia. Quintò: Dum exitur è cubiculo, toties quoties, oblatis priùs Deo singulis passibus faciendis. Sextò: Illis binis temporibus, quibus vel in-vel ante triclinium expectatur benedictio Mentæ: tunc autem præter Christi merita & *S. Augustini* intercessionem & merita, adhibendum expressè etiam hoc, ut per merita aliorum fervorum Dei id à Deo concedatur.

5. Loco Lectionis spiritualis legendum quotidie aliquid è vita *S. Augustini*, quam primitus sancti Legislatoris nostri Discipulus *S. Possidonius* Episcopus Calamentis in Africa, dein alii diversarum Religiosarum familiarum viri docti, ex Canonicis Regularibus verò *R. D. Wilibaldus* Mayr Rorensis, *R. D. Nebridius* à Mindelhaim Clauastro Neoburgensis, *R. D. Joannes Baptista Melegarius* ex Congregatione Lateranensi conscripserunt, & quidem illa pars *vite*, in qua non tam res ab eo gestæ narrantur, quàm peculiare virtutes illius recensentur: uti Oratio, Humilitas, Charitas, & aliæ.

6. Me-

6. Meditationes quotidianae per illos octo dies instituendae de praecipuis ejus virtutibus, unam uno die & actus ac excellentiam illius considerando, alias aliis diebus. Fortassis fini huic inservient Meditationes infra positae.

7. Commendandae *S. Augustino* communes & propriae necessitates modo speciali & ferventer, praesertim bonus finis vitae, ut feliciter omnibus Sacramentis munitus, & plenus magnis meritis in gratia Dei quis moriatur. Sanè *S. Gertrudis* divinitus intellexit, quod, dum aliquis finem vitae suae cuivis Sanctorum specialibus orationibus commendat, statim orationes illae deferantur ante tribunal Iudicis, & ille Sanctus, cui committuntur, constituatur à Deo advocatus super eas, ut ex ipsis bona provideat sibi devotis, tempore opportuno. (a)

8. Gratiae agenda Deo saepius in die, pro beneficiis naturae, gratiae, gloriae, & honoris *S. Augustino*, & per illum aliis collatis. Quod adeo placuit Deo, ut *S. Gertrudis* divinitus etiam intellexerit, quod, quaecumque aliquis gratias agit Deo pro Sancto aliquo, Dominus de merito Sancti illius augeat gratiam in anima ejus, qui pro eo gratias persolvit. (b)

Ad haec, ut eodem libro (c) habetur: Est etiam Sanctis gratissimum, quando quis eos per cor Christi salutari: & multo magis, si quis idipsum illis offerat, quia per illud, & in illo majus habent

oblectamentum, quam quisquam illis posset exhibere.

9. Denique, si quis é numero illorum est, qui sub Regula *S. Augustini* militant, sanctum Legislatorem ac Parentem suum ferventer oret, ut perfectam Regulæ suæ, trium votorum, ac Constitutionum perfectam ac constantem observantiam à Deo ipsi impetret, ut sic ad perfectionem Religiosam omni conatu tendere, vocationi suæ conformem vitam degere, atque tandem morte iustorum mori, nec non in extremi iudicii terrore securus coram divini Iudicis tribunali adstare possit.

(a) *Lib. 4. c. 53, Insm, Div. Piet.* (b) *Loc. cit. c. 56.*  
(c) *c. 2.*

## CULTUS II.

S. Monicæ Matri S. Augustini dicatus,

### EXERCITIUM I.

*Officium Parvum S. Monicæ.*

Invocatio.

**M**atrona salve nobilis,  
Monile fœminarum,  
Quater beata, & amplius  
Idea Castitatis.

*Crystallinarum Monicæ*

*Fons sanctæ lachrymarum;*

Bis

Bis mater admirabilis  
 Gignendo, lachrymando.  
 Admitte vota supplicum,  
 Admitte filiorum,  
 Et nos clientes ablue,  
 Ut filium abluisti.

## AD MATUTINUM.

ψ. Domine labia mea aperies.  
 ρ. Et os meum annuntiabit laudem tuam.  
 ψ. Deus in adiutorium meum intende.  
 ρ. Domine ad adjuvandum me festina.  
 Gloria Patri, & Filio &c. Sicut erat in principio &c. Alleluja.

## HYMNUS.

**F**ortem virili pectore  
 Amazonem colamus  
 Amore Christi sauciam,  
 Et filii salute,  
 Affecta quanto pectoris  
 Dolore non fuisti?  
 Beata Mater, *prodigum*  
 Cùm *filium* videres,  
 Per probra volvi plurima:  
 Per criminum lacunas;  
 Materna quanto viscera  
 Mucrone sunt adacta!  
 Summo Dei sit gloria,  
 In Filio parenti,

E 4

Et

Et ter potenti flamini  
Utrinq; prodeunti.

*Antiph.* Stans Beata *Monica* lachrymantibus  
oculis orabat: Te deprecor, Omnipotens, ado-  
randa, colende, & metuende Deus, miserere  
famulæ tuæ, & fac, ut quem carne prius pepe-  
reram mundo, charitatis visceribus multo femi-  
ne lachrymarum jam gignam Christo.

ŷ. Specie tua & pulchritudine tua.

ꝛ. Intende prosperè procede, & regna.

*Oremus.*

**D**EUS mœrentium consolator, & in te spe-  
rantium salus, qui *B. Monica* piâs lachry-  
mas in conversione filii sui *Augustini* misericor-  
diter suscepisti, da nobis utriusque interventu  
peccata nostra deplorare, & gratiæ tuæ indul-  
gentiam invenire. Per Dominum &c.

### AD LAUDES.

ŷ. Deus in adiutorium meum intende.  
ꝛ Domine ad adjuvandum me festina.  
Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

### HYMNUS.

**N**Ati dolebat hæresin,  
Fraudésque contumaces  
Harere corde faxeo,  
Nec exspui venenum.  
Molire marmor cogitat  
Miraculo liquoris.

Obli-

Oblitus ille lactis est,  
Fortasse non aquarum.

Jam preparatut balneum  
Caligini lavanda:

Jam Mater uda lachrymis  
Accingitur medela.

Summo Deo sit gloria,  
In Filio Parenti,

Et ter potenti Flamini  
Utrunque prodeunti.

*Antiph.* Quid ploras mulier? noli flere, re-  
surgat filius tuus. Non enim fieri potest, ut  
filius tantarum lachrymarum pereat.

ψ. Exaudivit Dominus vocem fletus mei.

℞. Dominus orationem meam suscepit.

*Oremus.*

**B**EATA *Monica* quæsumus Domine suffragiis  
adjuvemur, cujus lachrymis exoratus, *An-*  
*gustinum* filium ad veram fidem convertisti. Qui  
vivis, & regnas &c.

### AD PRIMAM.

ψ. Deus in adjutorium meum intende.

℞. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

### HYMNUS.

**I**N lachrymis dum navigat  
Parens amore nati,

E 5

Fit

Fit ipsa mater naufraga,  
 Ut naufragum lucretur,  
 Salso reportat aquore  
 Ex filio trophaum,  
 Jam fonte rupes mollior  
 Fit, matre lachrymante,  
 Nam quem disertæ lachrymæ  
 Non illicò moverent,  
 Fletu renasci debuit  
 Hic *filius doloris*.  
 Summo Deo sit gloria  
 In Filio Parenti,  
 Et ter potenti Flamini,  
 Utrinque prodeunti.

*Antiph.* Devota mulier *Monica* semper salutem filii gerebat in pectore, & non diebus, neque noctibus vacabat à lachrymis & oratione,  
 ψ. Diffusa est gratia in labiis tuis.  
 ρ. Propterea benedixit te Deus in æternum.

*Oremus.*

**I**ndulgentiam nobis quæsumus Domine *B. Monica* vidua tua imploret, quæ tibi grata semper extitit, & merito orationis, & tuæ professione virtutis. Per Dominum &c.

### AD TERTIAM.

ψ. Deus in adjutorium meum intende.  
 ρ. Domine ad adjuvandum me festina.  
 Gloria Patri &c, Sicut erat &c.

HYM.



## HYMNUS.

PLerumque magna gaudia  
 Mœrore comparantur,  
 Post lachrymas tristissimas  
 Sincerius jocamur.

Testatur illud *Monica*

In filii triumpho,

Debetur is suspiriis,

Doloribus parentis.

Succesit atris nubibus

Sol pulchriore vultu,

Matrique tandem filius

Post fata restitutus.

Summo Deo sit gloria

In Filio Parenti,

Et ter potenti Flamini

Utrinque prodeunti.

*Antiph.* Congratulamini mihi omnes, qui  
 diligitis Dominum, quia quem quærebam, ap-  
 paruit, & dum flerem pro filio, recepi eum,  
 mortuus erat, revixit, perierat, & inventus est.

ψ. Elegit eam Deus, & prælegit eam

ϣ. In tabernaculo suo habitare facit eam.

*Oremus.*

DEus, qui ad pias *B. Monicae* lachrymas *S. Au-*  
*gustinum* Ecclesiæ tuæ Doctorem maximum  
 concessisti: tribue nobis quæsumus, utriusque  
 interventu nostrorum indulgentiam percipere  
 delictorum. Per Dominum &c.

AD

## AD SEXTAM.

ψ. Deus in adiutorium meum intende.  
 R. Domine ad adjuvandum me festina.  
 Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

## HYMNUS.

POSTquam reversum filium  
 Ex hæresi recepit,  
 Gavisa prædâ, denuò  
 Se credidit parentem,  
 Orationi dedita,  
 Et tota sanctitati,  
 Flagravit instar Angeli  
 Succensa charitate,  
 Mundique victrix nobilis  
 Terræna transvolavit,  
 Ut evolaret, Charitas  
 Illi paravit alas,  
 Summo Deo sit gloria,  
 In Filio Parenti,  
 Et ter potenti Flamini  
 Utrinque prodeuntî.

*Antiph.* Fallax gratia & vana est pulchritudo,  
 mulier timens Deum, ipsa laudabitur: date  
 ei de fructu fletuum suorum, & laudent eam  
 in portis opera ejus.

ψ. Veni electa mea, & ponam in te thronum  
 meum.

R. Quia concupivit Rex speciem tuam.

Ore-

Oremus.

**E**Xaudi nos Deus salutaris noster, ut sicut de  
*B. Monica* Viduæ tuæ glorificatione læta-  
 mur, ita piæ devotionis ejus erudiamur affectu.  
 Per Dominum &c.

## A D N O N A M.

☩. Deus in adjutorium meum intende.  
 R. Domine ad adjuvandum me festina.  
 Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

## HYMNUS.

**V**irtutibus circumdata  
 Ceu navis institoris,  
 Iter peregit arduum  
 Per sæculi procellas.  
 Negotiatrix fœmina  
 Non ditior reperta,  
 Cælo intulit commercia,  
 Lucrumque duplicavit.  
 Misit manus ad fortia  
 Fusumque comprehendit,  
 Manus apertas pauperum,  
 Tulit necessitati.  
 Summo Deo sit gloria,  
 In Filio Parenti,  
 Et ter potenti Flamini  
 Utrunque prodeunti.  
*Antiph.* Beata mulier & Mater *Monica*, ex-  
 audita est oratio tua, & fletus tui commemo-  
 rati sunt in conspectu Dei,

☩. Prop-

ψ. Propter veritatem & mansuetudinem tuam.  
 ρ. Deducet te mirabiliter dextera tua.

*Oremus.*

**T**uorum corda fidelium Deus miserator illustra, & *Beata Monica* precibus gloriosis fac nos prospera mundi despiciere, & caelesti semper consolatione gaudere. Per Dominum &c.

### AD VESPERAS.

ψ. Deus in adiutorium meum intende.  
 ρ. Domine ad adjuvandum me festina.  
 Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

### HYMNUS.

**N**E quid timeret à nive  
 Aut frigorum rigore,  
 Togam benigna *duplicem*  
*Domesticis* paravit,  
 Sibique fecit *purpuram*,  
*Vestemque stragulatam*,  
 Consideravit *semitas*,  
 Domumque visitavit,  
 Suumque *panem* neutiquam  
 Comedit *otiosa*,  
 Legem tulit *clementia*  
 Patente semper ore,  
 Summo Deo sit gloria  
 In Filio Parenti,  
 Et ter potenti Flamini  
 Utrinque prodeunti.

*An-*

*Antiph.* Os tuum aperuit Sapientiæ, & lex clementiæ in lingua ejus, consideravit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit, gustavit, & vidit, quia bona est negotiatio ejus, non extinguetur in nocte lucerna ejus.

ψ. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

℞. Deus in medio ejus non commovebitur.

*Oremus.*

**C**lementissime Deus, qui *Beatam Monicam* inter ceteras egregias dotes Sanctissimæ orationis prærogativa decorasti, da nobis ejus intercessione post mortalis vitæ, quam suppliciter petimus, pacem, ad aterna gaudia pervenire. Per Dominum &c.

### AD COMPLETORIUM.

ψ. Converte nos Deus salutatis noster.

℞. Et averte iram tuam à nobis.

ψ. Deus in adjutorium meum intende.

℞. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

### HYMNUS.

**S**ic ipsa dives gratiis,  
Divésque sanctitate,

Febri calente sternitur

Amore saviente;

Expirat instar cerei

Qui clariore flammâ,

In fine lychni fulgurat,

Mox desinit micare,

At

At non micare desinit  
 Matrona gloriosa,  
 Nam claret hæc miraculis  
 Post fata gratiosis,  
 Summo Deo sit gloria  
 In Filio Parenti,  
 Et ter potenti Flamini  
 Utrunque prodeunti.

*Antiph.* Regnum mundi, & omnem orna-  
 tum sæculi contempsit *B. Monica* propter amo-  
 rem Domini sui JESU Christi, quem vidit,  
 quem amavit, in quem credidit, quem dilexit.  
 V. Ora pro nobis sancta Mater *Monica*.  
 R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

*Oremus.*

**D**Eus, qui *B. Monica* piis lachrymis gratiam  
 conferre dignatus es, ut famuli tui *Angu-  
 stini* filii sui duplex Mater effici mereretur, con-  
 cede propitius, ut ejus apud te patrocina ten-  
 tiamus. Per Dominum &c.

*Commendatio.*

**V**ALE *Beata Monica*  
 Monile sanctitatis,  
 Vale beati filii  
 Parens quater beata,  
 Sexúmque supra celsior,  
 Cœlique margarita,  
 Ne sperne vota supplicum  
 Ne sperne filiorum,

Æqui

Æqui bonique consule  
 Hunc mentis apparatus,  
 Affectus ingens cordis est,  
 Non pompa dictionis.

## EXERCITIUM II.

*Litania de S. Monica.*

**K**Yrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, Misereere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, Misereere nobis.

Spiritus Sancte Deus, Misereere nobis.

S. Trinitas unus Deus, Misereere nobis.

S. Maria, Ora pro nobis.

S. Augustine Fili lachrymarum, Ora pro nobis.

S. *Monica*, Ora pro nobis.

[Augustini bis Mater,

Bona Negotiatrix,

Conjugatorum solatium,

Deum timens ab infantia,

Eucharistico cultui addictissima,

Fœminarum decus,

Gloria & honore à Deo decorata,

Humilis ancilla servorum Dei,

Imago virtutis Christianæ,

[Lachrymis conversionem filii obtinens.]

Ora pro nobis.

F

Mun.

*S. Monica* {  
 Mundi Contemptrix,  
 Norma conjugalis castitatis,  
 Orationi deditissima,  
 Pacificandi discordes animos dono præ-  
 dita,  
 Quærens lanam & linum,  
 Redimita corona immortalitatis,  
 Speculum viduarum,  
 Templâ Dei die noctûque frequentans,  
 Visionibus divinis consolata,

Ora pro nobis.

Propitius esto. Parce nobis Domine.

Propitius esto. Exaudi nos Domine.

A tepore in studio perfectionis Religiosæ,

A transgressione mandatorum tuorum,

A transgressione Regulæ *S. Augustini*;

A transgressione votorum nostrorum,

Per tenellas lachrymas tuas in infantia fusas,

Per plenas amore lachrymas in resuscitatio-  
 ne Lazari à te fusas,

Per compassionis lachrymas ob miserum sta-  
 tum Hierosolymitanæ civitatis à te fusas,

Per lachrymas & preces tuas cum clamore  
 valido in cruce oblatas,

Per intercessionem & merita *S. Monica*,

Per ipsius ferventissimam devotionem,

Per ipsius pietatem, quâ in SS. Missæ Sacri-  
 ficium ferebatur,

Per ipsius ardentissimam charitatem,

Per ipsius zelum pro conversione filii,

Libera nos Domine.

Per



Per ipsius uberes lachrymas pro conversione filii  
sui fusas, Libera nos Domine.

Per conversionem *Augustini* filii ejus, Libera  
nos Domine.

Per sanctissimas virtutes, quibus in vita præ-  
fulsit, Libera nos Domine.

Per pientissimam mortem ejus, Libera nos Do-  
mine.

Peccatores: JESU te rogamus audi nos.

Ut nobis ob delicta juventutis nostræ parcas,

Ut nobis ignorantias & peccata nostra indul-  
geas,

Ut lachrymis strata nostra rigemus,

Ut lachrymæ sint nobis panes nostri die ac  
nocte,

Ut lachrymas nostras in conspectu tuo po-  
nas,

Ut à lachrymis æternis nos custodias,

Ut lachrymarum pane nos cibare digneris,

Ut in lachrymis potum in mensura nobis  
dare digneris,

Ut per lachrymas contritionis ad veram pœ-  
nitentiam nos perducere digneris,

Ut in lachrymis seminantes, in exultatione  
metamus vitam æternam,

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce no-  
bis JESU.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi  
nos JESU.

JESU te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Misere  
nobis JESU.

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

*Antiph.* Dedit Dominus capiti ejus aquam,  
& oculis ejus fontem lachrymarum, ut mereret  
tur filium *Augustinum* ab erroribus gentium re-  
vocare.

ŷ. Exaudivit Dominus vocem fletûs mei.

℞. Dominus orationem meam suscepit.

*Oremus.*

**D**EUS, qui ad pias Beatae *Monica* lachrymas  
sanctum *Augustinum* Ecclesiae tuae Docto-  
rem maximum concessisti, tribue nobis quaesum-  
us, utriusque interventu nostrorum indulgen-  
tiam percipere delictorum. Per Dominum &c.

### EXERCITIUM III.

#### HYMNUS I.

**A**Lma mater generosa  
Doctoris præcipui,  
Et affectu vilcerosa  
Amoris melliflui,  
Tua vita virtuosa  
Nostra lucet visui.

Altx

Altæ Mater pietatis

In tota Ecclesia,  
Per exempla sanctitatis  
Fulges relucentia,  
Et affectu charitatis  
Jugis refragantia.

Sancta Mater amorosa

Circa tuum filium  
Extitisti lachrymosa  
Præcavens exilium,  
Ne ex morte ærumnosa  
Sentiret supplicium.

Eja *Monica* beata,

Cæli sedes folio,  
Ad superna elevata  
Claro lucet radio,  
Inter Angelos locata  
Tuo stas cum filio.

Tibi mater supplicamus,

Et piis affectibus  
Tuas preces imploramus  
Multis cum gemitibus,  
Ut per te possideamus  
Deum in cælestibus.

Sempiternæ Trinitati

Melos demus dulciter,  
Trinæque Divinitati  
Cantemus hilariter,

F 3

Glo-

Gloria humanitati

Christi sit perenniter. Amen. (a)

*Oratio.*

**S**ANCTA *Monica*, quæ & maritum & filium convertisti: felix mater, cui *S. Ambrosius* dixit, impossibile esse, ut *Augustinus* tantarum lachrymarum, quas pro illo convertendo pia mater fundebas, filius intereat: quæ cum filio de cœlestibus dulciter collocuta, illuc suspirabas, & abiisti, ubi jam una cum illo es, quæ moritura, ut sacrificium pro te mortua fieret, unicè flagitasti. Ora pro me, una cum sancto illo tuo filio, sancta Mater, ut sim & ego filius, non jam lachrymarum, sed orationum tuarum, sitque impossibile, ut filius tantarum precum inteream, Amen. (b)

(a) *Ex Prop. Ord. Eremit. S. Aug.* (b) *Ex anno celesti P. Ioan. Nadasi 4. Maji.*

## EXERCITIUM IV. HYMNUS II.

**L**ætare nunc Ecclesia  
 Piæ Parentis *Monicæ*  
 Dum festa sunt solemnia,  
 Festis resulta cantibus.  
 Hæc namque sacrum conjugum  
 Exemplar, & matrum decor,  
 Viri corona, & gloria,  
 Cœli potitur gaudiis,

Hæc

Hæc vitis almo germine  
Mundum beavit perditum,  
Dum veritatis edidit  
Pulsæ severum vindicem,

O ter beata & amplius,  
Dignata tanto filio,  
Per quem fides Ecclesiæ  
Vita triumphat hæresi,

Tuum, tuique filii  
Suffragium deposcimus,  
Nobis benignum judicem  
Seclo futuro reddite.

Deo Patri sit gloria,  
Ejúsque soli Filio,  
Cum Spiritu Paraclito  
Nunc & per omne sæculum, Amen. (a)

## Oratio.

**S**alve, & iterum salve, ô ter benedicta Mater  
*Monica*, quæ in triplici illo tuo statu, vir-  
ginali, conjugali, ac viduali piè ac sanctè vixi-  
sti, eò actionibus tuis semper collimans, ut  
Deo, quem tenerè diligebas, placeres. Rogo  
te tenerrimo cordis mei affectu, gratiam à Deo  
meo & tuo mihi impetra, ut te in sanctis vir-  
tutibus tuis, humilitate præsertim ac patientiâ  
imitari, vitâque meam ita instituere possim,  
quatenus & illa Deo meo placeat, & hic mihi  
meritis & precibus tuis felicem mortis horulam

concedere, ac cœlestium civium albo adscribere dignetur, Amen. (b)

(a) *Ex Prop. Can. Reg. Brixina 1675. edito.* (b) *Ex Libello Germanico.*

EXERCITIUM V.  
HYMNUS III.

**E**Xcelse Princeps omnium,  
Mundi Regis qui machinam,  
Æterna regnas sæcula,  
Audi tuos nunc servulos.

Sanctas preces, qui *Monica*,  
Atro sub hoc ergastulo  
Dum viveret, susceperas,  
Donans salutem filii.

Alti poli nunc incolam  
Raptamque tot de fordibus,  
Pro lubricis mortalibus  
Audi precantem, quæsumus.

Terram colens si contulit  
Tantum cadenti sæculo,  
Quidni supra cellos polos  
Evecta, plus nunc conferat?

Sic nunc preces, quas largiter  
Olim profudit lachrymans,  
Hinc nos malis & liberet  
Multis suo suffragio.

O nos beatos munere  
Tanto bonis tam grandibus,

Ejus

Ejus modò, quas porrigit  
 Pronus preces tu suscipe.  
 Nunc vota cuncti fundite,  
 Præ cæteris, qui scilicet  
 Vel litteris gentilibus  
 Vel sacris estis præditi.  
 Nam hæc cum nobis dedit,  
 Sublime cæjus maximis  
 Omnes acumen laudibus  
 Cultumque summum tollimus.  
 Sit laus Patri cum Filio  
 Et Spiritu Paraclito,  
 Tibique Sancta Trinitas  
 Nunc & per omne sæculum. Amen. (a)

## Oratio.

**H**onor sit tibi, ô Beata *Monica*, dignissima  
 Mater *S. Augustini*. O quàm præclarum  
 thesaurum Christianitati produxisti, quando tam  
 inclytum filium peperisti. Laudem dicant tibi  
 semper cuncti sub Regula filii tui viventes. Om-  
 nis pariter orbis te magnificet, quoniam copio-  
 sum lumen adhuc ex filii tui labore rutilat.  
 Gaude igitur, ô Mater sapientiæ, ô lumen pe-  
 regrinantis animæ. Veni nobis miseris in au-  
 xilium, & ab omnibus malis præbe nobis reme-  
 dium. Peto, ut sicut filium tuum ab errore  
 gentilitatis suæ multo imbre lachrymarum ab-  
 duxisti, ita & nos ab omnibus erroribus liberet,  
 & in bonis actionibus confirmet. De nobili

profapia tu in Africa nascebaris, sed gentili m̄-  
 rito desponsabaris. Sævitiā tamen gentilita-  
 tis suæ & ipse paulatim deponebat, & tuis san-  
 ctissimis adhortationibus adquiescebat: inclytos  
 filios procreabas: *Augustinum* autem præ cun-  
 ctis plus amabas, huicque sedulò insistebas, ut  
 Christum verum Deum esse crederet, & se ab  
 omni paganismo averteret. Multi nunc Reli-  
 gionum Ordines in orbe ex tanti filii tui insti-  
 tutione rutilant: quorum Professores hodie fi-  
 dentiùs ad te piissimam Matrem in oratione cla-  
 mitant. Peto igitur, ut nobis assistas, & Deum  
 cum Sanctis suis nobis placabilem facias. Noli  
 ò melliflua Mater tanta precamina filiorum filii  
 tui spernere, sed dignare pro nostra salute solli-  
 cita esse. Impetra, ut gratia cœlestis nobis do-  
 netur, & præsens & futura benedictio nobis non  
 denegetur. En labia nostra in tua laude se mo-  
 vent: corda pariter cum animabus ad te dulcis-  
 simam consolatricem transfultant. Fac igitur  
 Deum nobis placabilem, quatenus donet nobis  
 æternam beatitudinem. Adjuva, ut nemo sub  
 Regula & Religione filii tui deficiat, neque præ-  
 ceptum quodcunque despiciat, sed disciplinis  
 Religiosis se humiliter subjiciat,

Amen. (b)

(a) Ex Prop. Erem. S. Aug. (b) Ex Pane quotidiano  
 P. Hieronymi Villa vitis Can. Reg.

EXER-



## EXERCITIUM VI.

## HYMNUS IV.

**M**onicam, Fratres, veneremur almam,  
Laudibus sacrum memorando fletum,  
Quo suum mater fidei reduxit

Anxia natum.

Ex lupo mitem reparavit agnum,  
Lumen ex atris tenebris coruscum,  
Ex fero, nostræ cupidum salutis,

Hoste, Parentem.

Qui lues mundo fuerat, repente  
Fit salus agris, via, duxque morum,  
Quamque lactabat, terit ipse, sectam  
Fulminis instar.

Si tuus tantum, pia mater, egit  
Fletus, hoc tristes potuere curæ,  
Jure te nostram canimus perenni

Laude Patronam.

Quæ tenes latum super astra portum,  
Et geris dignam lachrymis coronam,  
Nos in errorum pelago natantes  
Eripe natos.

Abnues nec tu, Superum Monarcha,  
Vota pro nobis Viduæ precantis,  
Qui poli celsam moderaris arcam

Trinus & unus. Amen. (a)

Oratio.

**S.** *Monica*, ô speculum lucidissimum, vivum-  
que archetypon fœmineæ vitæ triplici Or-  
dine

dine circumscriptæ, virginitate scilicet, conjugio, & viduitate; Tu parentibus liberos probè educandi norma, cui extra consuetum tempus sitim nec aqua sedare licebat juvenulæ; Tu vera maritalis honestatis & patientiæ imago, conjugii iracundiæ & levitati nocivè obnoxio *Patri- cio*, duritatis extra limites humanitatis elapsa patiens convivebas, aliarum uxorum simili in occasione conquerentium proterviam verbis acriter castigans; Tu pacifica litium ubicunque orientium mediatrix, contrarios invicem pacatè componebas. Tu continuo lachrymarum imbre faxem mariti pectus emolliebas, ut motus tuis precibus Dei illuminante gratia, abjurata Idolorum superstitione ad veri Numinis cultum conversus transfugeret. Similiter de filii Manichæorum hæresi malè infecti salute anxia continuis planctibus ac suspiriis assidua oratione, jugi lachrymarum rivo mollire, fatigare, & expugnare cælum ante non desistebas, quàm Mediolanensis Ecclesiæ Præsul Ambrosius te consolatus, filium materna hac pietate servatum perire non posse assereret. Recordare ineffabilis gaudii illius, quo maternum pectus tuum redundabat, cùm filius tuus lustrico salutiferi Baptismatis fonte à D. Ambrosio tinctus, post Pontificali Infula insignitus à te videretur, frequentibus Deo actis gratiis. Recordare quanto ardentis animi fervore sapè SS. Eucharistiæ ferculum, præ-

præcipuè festivo S. Cypriani die, ardenti oratione inflammata, contemplationi inhærens aliquot ulnis è terra sublata, in aëre pendula, præsentè populo, *volemus in calum vociferata*, sumptis. Tu, ô electa Patrona mea Deum mihi propitium redde, ut amplissima merita tua intuitus, minimam duntaxat partem devotionis tuæ mihi in ultimo mortis articulo cœlestè Viaticum SS. Eucharistiam sumentis largiri dignetur, ut tecum ad cœlestem Paradisum volare possim. O humilis ancilla Christi, quàm sanctè & castè, sobriè ac devotè vidua degebas! In suppeditanda pauperibus stipe prodiga, in frequentando mane ac vesperi templo sedula, in audiendo quotidie Missæ Sacrificio accurata, in serviendo mendicis indefessa, ob quod filius tuus *Augustinus* te Ancillam Servorum Dei gloriosè appellitabat. Inanem mundi vanitatem nauseabas, æterna tantùm cœlestium gaudiorum soliditate tibi suaviter sapiente; Panem Angelicum sumptura amore in Deum inflammato ardebas, hinc ferventia tua suspiria, quæ tibi mortuæ in exequiis funebria sacra fieri flagranti desiderio optabant, cujus voti te, ætatis tuæ anno quinquagesimo sexto, reddita in manus Servatoris tui anima mortuam, filius tuus filiali observantia damnavit, plurimis pro te oblatis Missæ Sacrificiis. O sanctissima Patrona *Monica*, apud Deum Judicem meum advocata esto, ad sis mihi in hora mortis,

tis,

tis, & ne permittas me necessariis S. Ecclesiae  
Sacramentis non instructum mori, ut tecum olim  
caeli gaudiis fruam in saecula saeculorum, Am. (b)

(a) *Ex Prop. Can. Reg. Brixina edito.* (b) *Ex Libro  
Germ. Himmels Cron inscripto.*

## EXERCITIUM VII.

### HYMNUS V.

**T**E ferant linguæ, celebrent, & omnes  
Te simul totus moduletur orbis,  
Saeculis cunctis memoreris amplâ  
*Monica laude.*

Cujus effusæ lachrymæ precésque  
Cor tui durum rigidumque nati  
Ad Dei magni meruere sacrum  
*Vertere caelum.*

O Decus summum, pia spesque matrum,  
Certa natorum via, dux, asylum,  
Dæmonum victrix, hæresum fugatrix  
*Alma virago.*

O tibi quantas populus fidelis  
Gratias debet memori sub ævo,  
Quem tuis summis meritis beâti,  
*Candida Mater,*

Quando bis mundo generaris illum,  
Quem sacrae per te fidei reductum,  
Denuò de te genitum fatemur  
*Augustinum.*

Qui tot invictus domuit rebelles,  
 Tot feros veræ pietatis hostes:  
 Monstra tot, tantam rabiem represit  
 Maximus ultor.

Qui tot errorum laqueos nocentes  
 Dissipans, tantæ tenebrâsque noctis,  
 Exitit nulli meritis, nec uli  
 Laude secundus.

Laus tibi summe Pater, atque Fili,  
 Quique procedis simul ex utroque  
 Spiritus Sancte, Deus unus idem  
 Laus tibi semper, Amen. (a)

## Oratio.

**O** Beata *Monica* respice benignis illis tuis &  
 compassivis oculis super me, qui specialem  
 ad te habeo devotionem, & inter vitæ hujus va-  
 rietates angustiis premor undique. Succurrant  
 mihi tua, ô Mater pia, suffragia, ut per te de  
 mellifluo corde Dei extraham, quodcunque de-  
 sidero. Scio enim, quia potens es meritis apud  
 Deum, & nihil tibi denegare potest in cælis  
 Dominus ille, & Sponsus amantissimus, cui tam  
 fideliter in terra deservisti, & cujus honorem  
 tam purè quærivisti: Tantum roga pro nobis,  
 & meliùs erit nobis. Confido enim, quod tuæ  
 dignissimæ preces faciliùs divinam clementiam,  
 ad ignoscendum peccatis nostris, & ad quacun-  
 que pia nostra desideria inclinabunt. Eja ergo  
 Mater & Advocata dulcissima, cæli rosa ver-  
 nati-

nantissima, & electa Domini mei, recordare mei in tantis periculis & calamitatibus positi, & funde preces pro me filio & servulo tuo, quantumvis indignissimo, impetra mihi salutarem desideriorum meorum effectum, & impende mihi in omni necessitate, dum & in hora mortis, tuum, ô benigna solatium. Accepset verò tua benignitas, quas tibi nunc offero, laudationes, cum dulci illo cordis affectu & devotione speciali, quam ab infantia erga te semper habui, pro omnibus debitis meis, quæ nullatenus persolvere possum, & ex ipsis te in augmentum omnium meritorum tuorum perorna, & pro me indigno Christum dulcissimum exora, quatenus ex efficacia suavissimorum vulnerum ipsius flores tuarum virtutum liquorem saluberrimum super me stillent in absolutionem peccatorum meorum, & tribulationum mearum consolationem, Amen. (b)

(a) *Ex Prop. Erem. S. Aug. (b) Ex part. 2. Convivii solemnis Nicolai de Montmerencii.*

## EXERCITIUM VIII.

## HYMNUM VI.

**P**atris nostri *Augustini*  
 Mater sancta *Monica*,  
 In amore Dei trini  
 Arsit ut Seraphica,  
 Fuitque Verbi divini  
 Jugiter famelica,

Quan-

Quanta fuit vis amoris

Erga suum filium,

Tanta fuit vis doloris

Postulans auxilium,

Unde flebat cunctis horis

Ad excellentiam solium,

Tantæ lachrymæ manarunt

Ab inflexis oculis,

Pectus, ventrem irrigarunt

Ex profusis rivulis,

In cælestibus clamarunt

Coram sanctis Angelis.

Te beata Mater pia

Supplicamus jugiter,

Esto nobis hîc in via

Adjutrix viriliter,

Et ad cæli gaudia

Ducas nos alacriter.

Sempiternæ Trinitati

Melos demus dulciter,

Trinæque divinitati

Cantemus hilariter,

Gloria humanitati

Christi sit perenniter. Amen.

*Antiph.* Augustini Mater devotissima, quem  
carne prius pepererat mundo, Charitatis visce-  
ribus postmodum multo semine lachrymarum  
genuit Christo.

G

V. Ora

ψ. Ora pro nobis sancta Mater *Monica*.

ϙ. Ut digni efficiamur promissionibus Christi,

*Oremus.*

**D**EUS merentium consolator, & in te sperantium salus: qui Beatæ *Monicæ* pias lachrymas in conversione filii sui *S. Augustini* misericorditer suscepisti: da nobis utriusque interventu peccata nostra deplorare, & gratiæ tuæ indulgentiam invenire. Per Dominum &c.

### CULTUS III.

Omnibus Sanctis ex *Canonicorum Regularium Ordine* inscriptus.

### EXERCITIUM I.

*Officium parvum novum de omnibus Sanctis Canonicis Regularibus S. Augustini.*

*Invocatio,*

**S**alvete chari filii  
 Mirabilis Parentis,  
 Patris beati pignora,  
 Prolésque gratiosa,  
 Salvete magna nomina,  
 Virique gloriosi,  
 Sanctæ propago Regulæ  
 Gens Ordinis beati,



Vos vita labiis integra  
 Sanctissimé peracta,  
 Jam more functos intulit  
 Cœlestibus Theatris;  
 Ibi laborum premia  
 Captatis & coronas,  
 Ibi perennis gaudii  
 Capessitis triumphos,  
 Ad vos supernæ patriæ  
 Cœlique Candidatos,  
 Nos exules & advenæ  
 In carne commorantes,  
 Fraterna vota fundimus  
 E valle lachrymarum,  
 Audite natos supplices,  
 Audite nos clientes.

## AD MATUTINUM.

Laudemus viros gloriosos, & Patentes nostros  
 in generatione sua. *Eccl. 44. cap.*

V. Domine labia mea aperies.  
 R. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

V. Deus in adiutorium meum intende.  
 R. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, & Filio &c. Sicut erat in princi-  
 pio &c. Alleluja. *Vel*; Laus tibi Domine Rex  
 aeterna Gloria.

## HYMNUS.

**V**Os ô supremi *Præsules*,  
*Vicarii*que *Christi*,  
 Primos honore nomino,  
 Primósque dignitate.  
 Laudo tiaram triplicem  
 Laudóque sanctitatem,  
 Cælique claves aureas  
 Argenteasque terræ.  
 Vos Roma victrix *Gentium*  
 Regina nationum,  
 Episcoporum Principes  
 Agnoscit, & coronat:  
 Vobis potestas maxima est  
 Thronusque gloriosus,  
 Orbem verò flectitis  
 Solvendo, vel ligando.  
 Laudata Sancta Trinitas  
 In laude sit suorum,  
 Quotquot supremi culminis  
 Gessere principatum,  
 Peccata nostra clavibus  
 Cælestibus resolvant,  
 Beata pandant ostia  
 Cælumque Janitores.

*Antiph.* Laudemus viros gloriosos, & Paren-  
 tes nostros in generatione sua, qui dum essent  
 Summi Pontifices, terrena non metuerunt, sed  
 ad cælestia regna gloriosi migraverunt.

¶. Con-

Ÿ. Constitues eos Principes super omnem terram.  
 R. Memores erant Nominis tui Domine.

Oremus.

**D**EUS, qui *Canonicorum Regularium* Ordinem  
 copiosâ Sanctorum sobole fecundare digna-  
 tus es, atque in ipsis heroica omnium virtutum  
 merita sublimer coronasti: da nobis illorum  
 sequi vestigia, ut quos piè veneramur in terris,  
 perpetuo illorum consortio gaudeamus in cœlis.  
 Per Dominum &c.

### AD LAUDES.

Laudemus viros gloriosos, & Parentes nostros  
 in generatione sua.

Ÿ. Deus in adiutorium meum intende.

R. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

### HYMNUS.

**V**OS Purpurati vertices

Ecclesiæ columnæ,

Vos Vaticana lumina,

Et astra, *Cardinales*,

Divina quos scientia,

Virtusque par Galero,

Assumpsit ex hoc *Ordine*,

Adeste supplicanti.

Vobis honores maximos,

Et purpuram *Quiritum*,

G 3

Vo-

Vobis decora pallia

Virtute comparata,

Gestamque *Papa* proximam

Cum laude dignitatem,

Vobis rubentes pileos,

Ex mente gratulamur,

Laudata Sancta *Trinitas*

In laude sit suorum,

Nostrate quos ex *Ordine*

Fuere *Purpurati*.

Vos deprecamur, supplices

Audite nos clientes,

Virtutibus circumfluos

Augete nos triumphis.

*Antiph.* Admirabile est nomen tuum Domine, quia gloria & honore coronasti Sanctos tuos, & constituisti eos supra opera manuum tuarum, fungi Sacerdotio, & habere laudem in Ecclesia Dei.

ψ. Amavit eos Dominus, & ornavit eos.

ꝰ. Stulam gloriæ induit eos.

*Oremus.*

**D**A quasumus omnipotens Deus, ut Beatorum Ordinis nostri *Canonicorum Regularium* sanctæ Romanæ Ecclesiæ *Cardinalium* atque *Pontificum* veneranda memoria & devotionem nobis augeat & salutem. Per Dominum nostrum &c.

AD

## AD PRIMAM.

Laudemus viros gloriosos & Parentes nostros in  
generatione sua.

ŷ. Deus in adjutorium meum intende.

ꝛ. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

## HYMNUS.

**J**am lucis orto sidere,

Formosiore sole,

*Apostoli* nos Ordinis

Hortantur, ut canamus,

*Apostoli*, qui gentibus

Distantibusque Regnis

Legem tulere cœlicam,

Fidémque prædicârunt.

Illi laborum prodigi

Vitæque nil timentes,

Ad advenas inhospitos,

Et barbaros profecti,

In dissitas provincias

Solamen intulerunt,

Christóque plura millia

Hinc inde consecrârunt.

Laudata Sancta *Trinitas*

In laude sit suorum

Nostrate quotquot Ordine

*Apostoli* fuerunt,

G 4

Vos

Vos deprecamur supplices

Audite nos clientes,

Et, quâ præstis semitâ,

Ad astra nos vocate.

*Antiph.* Illi sunt viri sancti, quos elegit Dominus in charitate non ficta, prædicare gentibus Evangelium Dei: In omnem terram exivit sonus illorum, & in fines orbis terræ verba eorum, Sancti per fidem fecerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones,

ÿ. Annuntiaverunt opera Dei.

℞. Et facta ejus intellexerunt.

*Oremus.*

**D**EUS, qui multitudinem Gentium per Beatos Ordinis *Canonicorum Regularium* ad agnitionem tui Nominis venite tribuisti, da nobis eorum gloriam sempiternam & proficiendo celebrare, & celebrando præficere. Per Dominum nostrum &c.

### AD TERTIAM.

Laudemus viros gloriosos & Parentes nostros in generatione sua.

ÿ. Deus in adjutorium meum intende.

℞. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

### HYMNUS

**E**T vos avete *Præsules,*  
Oracula *infulata,*

Ec-

Ecclesiarum numina,

Exempla sanctitatis,

Provinciarum *Præsides*,

*Antistites* sacrorum,

Vobis ovile gratulor,

Ovèsque Christianas,

Episcopalis muneris

Vos dignitate functi,

Pugnâstis in tot hæreses,

Et mallei fuistis,

Gregem fidelem lubrico

Servâstis à veneno,

Verbique sacro pabulo

Fovistis imbecilles,

Laudata Sancta Trinitas

In laude sit suorum

Nostrate quotquot Ordine

*Episcopi* fuerunt.

Vos deprecamur, supplices

Audite nos clientes,

Et, quâ præistis semitâ,

Ad astra nos vocate.

*Antiph.* Vos estis genus electum, Regale Sa-

cerdotium, gens sancta, populus acquisitionis,

ut virtutes annuncietis ejus, qui vocavit vos in

admirabile lumen suum. Pastores boni in po-

pulo orate pro nobis Dominum.

ſ. Elegit eos Dominus. Sacerdotes sibi.

℞. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

G s

Ore-

*Oremus.*

**E**Xaudi, quaesumus Domine, preces nostras,  
 quas in Beatorum ex *Canonicorum Regula-*  
*rum* Ordine Pontificum commemoratione dese-  
 rimus, & qui tibi dignè meruerunt famulari,  
 eorum intercedentibus meritis ab omnibus nos  
 absolue peccatis. Per Dominum &c.

## AD SEXTAM.

Laudemus viros gloriosos & Parentes nostros in  
 generatione sua.

ψ. Deus in adiutorium meum intende.

℞. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

## HYMNUS

**A**Doro vos, *scientia*  
 Quos intulit lyceis,

Quos litterarum laurea

Creavit, ut docerent,

Vobis scholarum lumina,

Et *mystici Magistri,*

Vobis corollam gratulor,

Et gloriam Cathedræ,

Vos orbe toto nobiles

Famâ scientiarum,

Vos vivitis superstites

Post fata per libellos,

Floretis omnes artibus,

Stylôque glorioso.

Nescit



Nescit sepulchrum veritas,  
 Quam voce vos docetis.  
 Laudata Sancta Trinitas  
 In laude sit suorum,  
 Scientiarum nobilem  
 Quotquot tulere laurum:  
 Vos deprecamur, supplices  
 Audite nos Clientes,  
 Et, quâ præstitis semitâ,  
 Ad astra nos vocate.

*Antiph.* Isti sunt candelabra lucentia ante Do-  
 minum, quorum doctrinâ fulget Ecclesia, ut  
 sole luna. Isti sunt filii sapientiæ. Et vene-  
 runt iis pariter omnia bona cum illa. Sapien-  
 tiam ipsorum narrent populi, & nomen eorum  
 nuntiet Ecclesia.

ÿ. Os iustorum meditabitur sapientiam,  
 &. Et lingua eorum loquetur iudicium.

*Oremus.*

**D**EUS, qui populo tuo æternæ salutis Beatos  
 ex ordine *Canonicorum Regularium* Mini-  
 stros tribuisti, præsta quæsumus, ut quos *Do-*  
*ctores* vitæ habuimus in terris, intercessores ha-  
 bere mereamur in cælis. Per Dominum &c.

### A D N O N A M.

Laudemus viros gloriosos & Parentes nostros in  
 generatione sua,

ÿ. Deus

¶. Deus in adiutorium meum intende.  
 R. Domine ad adjuvandum me festina.  
 Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

## HYMNUS.

**T**E candidate *Martyrum*

Exercitus rogamus,

Laudes pusillas accipe,

Quas pangimus strategis.

Vos estis omnes milites

Ducésque bellicosi,

Non indecoro sordidi

Cruore *primpili*,

Vos gloriosam purpuram

Fudistis inter hostes,

Stetistis inter vulnera,

Stetistis inter enses,

Stetistis inter lanceas

Hastásque fulgurantes,

Tormenta vobis omnia

Celsére perferendo.

Laudata Sancta *Trinitas*

In laude sit suotum,

Fudére quotquot nobilem

Cum spiritu *cruorem*.

Vos deprecamur, supplices

Audite nos Clientes

Et, quâ præistis semitâ,

Ad astra nos vocate.

*Antiph.* Isti sunt viri gloriosi habentes splendidas vestes, qui viventes in carne ornaverant Ecclesiam sanguine suo: Calicem Domini biberunt, & amici Dei facti sunt: Isti sunt Triumphatores, qui venerunt ex tribulatione magna, & laverunt stolas suas in sanguine Agni: amaverunt Christum in vita sua, imitati sunt eum in morte sua, & ideo mererunt habere coronas perpetuas.

☩. Exultabunt Sancti in gloria.

☩. Latrabuntur in cubilibus suis.

*Oremus.*

**P**Ræsta quæsumus omnipotens Deus, qui gloriosos *Martyres ex Canonicorum Regularium Ordine* fortes in sua confessione cognovimus, pios apud te in nostra intercessione sentiamus. Per Dominum &c.

### AD VESPERAS.

Laudemus viros gloriosos & Parentes nostros in generatione sua.

☩. Deus in adiutorium meum intende.

☩. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

**S**alvete *Consistentium*  
Mercede Candidati,  
*Cænobiarchæ* plurimi,  
Patrèsque cæterorum,

Qui

Qui præfuere subditis  
 In pace charitatis,  
 Qui seruire Numini  
 Cum laude sanctitatis,  
 Vos estis, in jejuniis  
 Qui plurimi fuistis,  
 In atterendo corpore  
 Et carne puniendâ,  
 Exempla vos sacerrima  
 Et facta præbuiſtis,  
 Tandemque digni præmio  
 Ad astra subvolâstis,  
 Laudata Sancta *Trinitas*,  
 In laude sit suorum,  
 Noſtrate quotquot Ordine  
 Cum laude præſuerunt.  
 Vos deprecamur, ſupplices  
 Audite nos Clientes,  
 Et, quâ præſtis temitâ,  
 Ad astra nos vocate.

*Antiph.* Iſti ſunt viri miſericordiæ, quorum  
 pietates non defuerunt, cum ſemine eorum per-  
 manent bona. Hæreditas ſancta Nepotes eor-  
 um. Iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.  
 Omnes, qui viderint eos, cognofcent illos, &  
 germen eorum in medio populorum. Iſti ſunt  
 Sancti Dei, qui propter leges paternas perſtiterunt  
 in amore fraternitatis, quia unus ſemper Spiritus  
 fuit in eis, & una fides.

ψ. Justos deduxit Dominus per vias rectas,  
 R. Et ostendit illis regnum Dei.

Oremus.

**D**EUS, qui conspicias ex nostra infirmitate de-  
 ficere, ad amorem tuum nos misericordi-  
 ter per Sanctorum tuorum *Canonicorum Regula-*  
*rium* exempla restaura. Per Dominum &c.

### AD COMPLETORIUM.

Laudemus viros gloriosos & Parentes nostros in  
 generatione tua,

ψ. Converte nos Deus salutaris noster.

R. Et averte iram tuam à nobis.

ψ. Deus in adjutorium meum intende.

R. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

### HYMNUS.

**T**E, virginalis castitas,

Et turba candidata,

Chorea casta *Virginum*,

Gens floridi pudoris,

Te deprecamur, lubricâ

Tuere nos palestrâ

Constamus omnes debili

Luto, periclitamur,

Vos estis illa *lilia*

E cœlitum viretis:

Vos perstitistis candidæ

Virtute permanente,

Vos

Vos blanda fraudum pabula

Mundúmque repulistis,

Virente semper laurea

Vos *Virgines* fuistis,

Laudata Sancta *Trinitas*

In laude sit suarum,

Mansère quotquot *Virgines*

Virtute delicata.

Vos deprecamur, supplices

Audite nos Clientes,

Et, quâ præistis semitâ,

Ad astra nos vocate.

*Antiph.* Candidæ factæ sunt *Virgines Dei*, splendorem Deo dederunt, candidiores nive, nitidiores lacte, Saphiro pulchriores. Et sicut dies verni circumdabant eas flores rosarum & lilia convallium: istæ enim sunt, quæ sequuntur agnum, quocumque ierit, ideo regnant cum Deo, & Agnus Dei cum illis: Immortalis est memoria illarum, quoniam apud Deum nota est & apud homines.

Ÿ. Elegit eas Deus, & prælegit eas.

℞. In tabernaculo suo habitare facit eas.

*Oremus.*

**D**A nobis, quæsumus Domine, sanctarum *Virginum* tuarum merita ex *Canonicorum Regularium* Ordine incessabili devotione venerari, ut quas digna mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequiis. Pet

Dominum &c.

Com-

## Commendatio.

**V**Alete *Sancti* singuli,  
 Omnèsque vos *Beati*,  
 Magni Parentis *fili*,  
 Prolesque gloriosa.  
 Valetè *summi Præsules*,  
 Valetè *Cardinales*,  
 Valetè vos *Episcopi*,  
 Valetè *Patriarchæ*,  
 Vos purpurati *Martyres*,  
 Vos *Virgines* tenellæ,  
 Et quos eodem *Regula*  
 Amore copulavit.  
 Vos jam soluti corpore  
 Regnatis, & valetis,  
 Dum semper hîc nos volvimus  
 In valle lachrymarum.  
 Vos deprecamur, supplices  
 Audite nos *Clientes*,  
 Apud severum *Judicem*  
 Estote vos *Patroni*,  
 Ut, cum repentè ventitans  
 Nos cinxerit timore,  
 Non damnet inferno reos,  
 Sed interat *Beatis*.



H

EXER-

## EXERCITIUM II.

*Litania de Sanctis Canonicis Regularibus.***K**Yrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, Misere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, Misere nobis,

Spiritus Sancte Deus, Misere nobis.

S. Trinitas unus Deus, Misere nobis.

Sancta *Maria* Patrona Religiosorum, Ora pro nobis.Sancta *Maria* Protectrix Ordinis *Canonicorum Regularium*, Ora pro nobis.

S. Michael,

S. Gabriel,

S. Raphael,

S. Angele Custos Ordinis *Canonicorum Regularium*,S. Pater *Augustine*,S. Marcelline *Hollandiæ* Apostole, 13. Jul.S. Patrivi *Hiberniæ* Apostole, 17. Martii.S. Trudo *Hasbaniæ* Apostole, 23. Nov.]

Omnes sancti Apostoli &amp; Prædicatores, Orate pro nobis.

Omnes sancti *Augustini* Discipuli, Orate pro nobis.

Ora pro nobis

Om.



Omnes sancti Innocentes, Orate pro nobis.

S. Aquiline, 29. Januar. }

S. Eusebi, 15. Dec. }

S. Friderice, 18. Julii. }

S. Herculane, 1. Martii. }

S. Thoma Cantuar. 29. Dec. }

B. Joan. Ostrowicane, 9. Julii. }

B. Petre Arbuesi, 14. Sept. }

SS. Læti, Donatione, & Socii Martyres, Orate  
pro nobis. 6. Sept.

Omnes sancti Martyres, Orate pro nobis.

S. Alberte Patriarcha Jerololymitane, Ora pro  
nobis. 8. Aprilis.

S. Aldobrandine, 1. Maji. }

S. Abili, 23. Febr. }

S. Alipi, 16. Aug. }

S. Albine, 2. Martii. }

S. Ansoine, 13. Mart. }

S. Aniane, 2. Dec. }

S. Benedicte Papa II, 7. Maji. }

S. Benno, 16. Junii. }

S. Cerboni, 10. Octob. }

S. Emirti, 7. Sept. }

S. Felix Papa III. 25. Febr. }

S. Floride, 13. Nov. }

S. Formose Papa, 14. Dec. }

S. Frigidiane, 19. Nov. }

S. Fulce, 26. Dec. }

S. Gaudenti, 22. Jan. }

Ora pro nobis.

Ora pro nobis.

S. Gelasi Papa,	20. Nov.
S. Gregori Trajectensis,	23. Aug.
S. Guarice S. R. E. Card.	6. Febr.
S. Guilielme Temperi,	27. Mart.
S. Guiraude,	5. Nov.
S. Ivo Carnotensis,	23. Dec.
S. Laurenti Dublinensis,	14. Nov.
S. Laurenti Illuminator,	3. Febr.
S. Ludgere,	26. Mart.
S. Malachia,	2. Nov.
S. Possidoni,	17. Maji.
S. Prosper,	25. Junii.
S. Raymunde Barbast.	21. Junii.
S. Ubalde,	16. Maji.

Ora pro nobis.

Omnes sancti Pontifices & Confessores, Orate pro nobis.

Omnes sancti Doctores, Orate pro nobis.

S. Badulphe,	2. Jan.
S. Beregise,	2. Octob.
S. Bernarde Mentoni,	15. Junii.
S. Gaucheri,	9. April.
S. Gautheri,	2. Febr.
S. Gilberte,	4. Febr.
S. Gualtere,	11. Maji.
S. Joannes Bridlingtoniensis,	10. Octob.
S. Joannes de Craticulâ,	1. Febr.
S. Kettle,	27. Sept.
S. Petre Piperacensis,	9. Sept.
S. Raymunde Tholosane,	8. Julii.

Ora pro nobis.

S. Theo.

S. Theotoni, Ora pro nobis. 18. Febr.

S. Wilhelme Roschil. Ora pro nobis. 6. April.

Omnes sancti Sacerdotes & Levitæ, Orate pro nobis.

S. *Monica* Patrona Ord. *Canonicorum Regularium*,

Ora pro nobis. 4. Maji.

S. Brigida, Ora pro nobis. 1. Febr.

S. Gertrudis, Ora pro nobis. 17. Mart.

S. Gaiana, Ora pro nobis. 29. Sept.

S. Radegundis, Ora pro nobis. 13. Aug.

S. Ripsimis, Ora pro nobis. 29. Sept.

Omnes sanctæ Virgines & Viduæ, Orate pro nobis.

Omnes Sancti & Sanctæ ex Ordine *Canonicorum Regularium*, Orate pro nobis.

Omnes Sancti, qui sub Regula S. *Augustini* vixistis, Orate pro nobis.

Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercedite pro nobis.

Propitius esto. Parce nobis Domine.

Propitius esto. Exaudi nos Domine.

Ab omni peccato, Libera nos Domine.

Ab omni malo, Libera nos Domine.

A subitanea & improvisa morte, Libera nos Domine.

A vanitate sæculi, Libera nos Domine.

Ab omni immunditia mentis & corporis, Libera nos Domine.

Ab amore proprio, Libera nos Domine.

H ;

Ab

Ab amore hujus sæculi,  
 A spiritu teporis,  
 A spiritu murmurationis & oblocutionis,  
 A spiritu singularitatis,  
 A spiritu superbo & arrogante,  
 Ab horrore mortificationis,  
 Ab inertia exercitiorum spiritualium,  
 Ab omni eo, quod tibi in nobis displicet,  
 Per dilectam animam tuam,  
 Per innocentiam vitæ tuæ,  
 Per fervidas orationes tuas,  
 Per silentium tuum,  
 Per merita & intercessionem omnium San-  
 ctorum *Canonicorum Regularium*,  
 Peccatores, Te rogamus audi nos.  
 Ut veros nos filios *S. Augustini* efficias,  
 Ut spiritum illius nobis dones,  
 Ut sinceros nos amatores *Regulæ* ejus efficias,  
 Ut veræ Paupertatis, Castitatis, & Obedien-  
 tiæ virtutes in nobis plantare digneris,  
 Ut ad perfectionem Religiosam nos continuo  
 aspirare concedas,  
 Ut quidquid in nobis vitiosum est, morti-  
 ficare & eradicare digneris,  
 Ut hunc locum, tibi que in eo famulantes  
 ab omni malo custodias,  
 Ut omnes Ordinis nostri *Canonicos*, nec non  
 alios in tua sancta Ecclesia conservare &  
 augere digneris,

Libera nos Domine.

Te rogamus audi nos.

Ut

Ut omnibus benefactoribus *Ordinis nostri* vitam æternam donare digneris, Te rogamus &c.

Ut in obitu nostro *Sanctorum Ordinis nostri* præsentia nos munire & latificare digneris, Te rogamus audi nos.

Ut omnibus defunctis *Concanonicis* nostris requiem æternam donare digneris, Te rogamus audi nos.

Fili Dei, Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison. Pater noster.

*Antiph.* O *Sanctorum Fraternitas*, quæ felix jam inhabitas dilecta tabernacula Domini *Virtutum*, ad nos in terris exules *pium reflecte ob-*  
*tutum.*

¶. Exultabunt Sancti in gloria.

¶. Lætabuntur in cubilibus suis.

*Oremus.*

**D**EUS, qui *Canonicorum Regularium Ordinem* copiosâ *Sanctorum* sobole sæcundare dignatus es, atque in ipsis heroica omnium virtutum

merita sublimer coronasti: Da nobis illorum  
sequi vestigia, ut quos piè veneramur in terris,  
perpetuo ipsorum consortio fruamur in cælis,  
Per Dominum &c.

## EXERCITIUM III.

## HYMNUS I.

**C**œlitum Princeps tua Christe laus est:  
Quod leves mundi fugitant honores,  
Atque juratis tibi consecrantur

Agmina votis,

Hac via nostras meruere laudes,

Quos amor cæli vitii profanæ

Plebis exemit, Canonumque cultus

Addidit astris,

Hac Deo reddi pariter studemus,

Sed parem nobis date vim sequendi,

Quos Patres vitæ benè dirigendæ

Ritè vocamus,

Clerici per nos date ne tepeſcant,

Neu' seu ritus minuantur aris;

Floreat vestrum decus, & futuros

Impleat annos,

Spiritus idem regit ardor omnes

Carnis infestam domitare legem,

Perfidi semper vigilare cavere

Dæmonis artes,

Templa solemnè decorare cultu,

Perpetem Christi celebrare laudem,

Hic

Hic ferè noctis sopor, hæc diei

Sola voluptas.

Ultrò lugentis per acerba vitæ

Martyrum fortes imitantur ausus,

Nec Sacramentum, nisi summa lucis

Hora resolvit.

Inde cælorum benè restitutas

Obtinet sedes numerosa turba,

Inde pastorum seges ampla, plebis

Exit in usus.

Moribus pauci meliùs profanis

Dedocent uti populos frequentes,

Nec potens rarò manifesta verbum

Signa sequuntur.

O Patrum nobis numero colendi

Laudibus, ne quid pereat, videte,

Ordo quo vester minor insequentùm

Vadat in ævum.

Sit decus Patri, genitæque Proli,

Et tibi compar utriusque virtus,

Spiritus semper, Deus unus omni

Temporis ævo. Amen. (a)

*Antiph.* Omnes isti in generationibus gentis  
sux gloriã adepti sunt : & in diebus suis ha-  
bentur in laudibus.

✠. Sancti & Justi in Domino gaudere.

✠. Vos elegit Deus in hæreditatem sibi.

*Oremus.*

**D**Eus meus & omnia, in cujus manu sunt fortes nostræ, tempora nostra: Rogamus te per omnes sanctas & electas tuas animas, quæ tibi in Ordine *Canonicorum Regularium*, quem & nos ingressi olim fuimus, maximè placuerunt, fac, ut omnes voluntates tuas in illo ita impleamus, ut placeat tibi Domine Deus, quidquid cogitamus, dicimus, agimus, omittimus. O Sancti omnes, & Sanctæ Dei, qui in hoc vivendi tenore ac forma gratum Deo obsequium præstitistis, agite, & nos quoque, magno illo erga Deum nostrum & vestrum, amore, ac pretiosis vestris æternæ lucis exemplis incendite, ut ad illorum exemplorum lumen, velut ad lucernam in caliginoso hoc loco, duce amore Dei, vos imitemur, & ambulemus, curramus, volemus per viam mandatorum Dei, quorum omnium apex, atque dulcissimum compendium est, *Diliges Dominum Deum tuum, Amen.* (b)

(a) *Ex Prop. Can. Reg.* (b) *Ex anno cælesti P. Nadasz paucis mutatis.*

## EXERCITIUM IV.

## HYMNUS II.

*Ad Apostolos Gentium Ordinis Canonicorum Regularium.*

**A**Vete mundi lumina,  
Et dæmonum terrores,

Qui



Qui Christi vera dogmata  
 Cunctas docuistis gentes,  
 Vos effugastis dæmonum  
 Tot spectra tot ludibria,  
 Vos inferorum luridis  
 Nos eruistis faucibus.

Juvate nunc ô Cælites  
 Quos procreastis filios,  
 Vestris manum nepotibus,  
 Ne corruant, extendite.

Summo Parenti cœlitum,  
 Magnæque proli Virginis,  
 Sancto simul Paraclito,  
 Sit summa laus & gloria. Amen.

*Antiph.* Isti sunt lucernæ ardentes & lucen-  
 tes, qui tenebris hæresum & Idololatriæ mundo  
 effusis lumen veræ fidei adduxerunt, & frigidis  
 hominum mentibus charitatis impertiverunt ar-  
 dorem.

ŷ. In omnem terram exivit sonus eorum.

z. Et in fines orbis terræ verba eorum.

*Oremus.*

**D**omine Jesu Christe, qui novam charitatis  
 legem pectoribus hominum per *Beatos Or-*  
*dinis nostri Gentium Apostolos* infudisti: horum  
 quæsumus, intercessione concede, ut suave hoc  
 novæ legis tuæ jugum prompta voluntate am-  
 plectamur, & opere perfecto expleamus. *Qui*  
*vivis & regnas &c.*

EXER-

## EXERCITIUM V.

## HYMNUS III.

*Ad sanctos Martyres Ordinis Canoniorum  
Regularium.*

**A**Ve cohors fortissima,  
 Testes avete strenui,  
 Quos terror mortis imminens  
 Non flexit à sententia,  
 Vos pertulistis fortiter  
 Acerbiora funera,  
 Quam parricidis debita  
 Parata vel latronibus.  
 Non horruistis forcipe  
 Ferrum, faces, novaculam,  
 Tormenta mille, lugubri  
 Quæ prodière tartaro.  
 Nunc bella post acerrima  
 Cælo triumphum ducitis,  
 Lætique tot victoriis  
 Palmâ decori vivitis.  
 Ne nos carentes viribus,  
 Nec debiles relinquite,  
 Ne fortè nos vis impia  
 Sternat nigranti turbine.  
 Summo Parenti Cœlitum  
 Magnæque proli Virginis,  
 Sancto simul Paraclito,  
 Sit summa laus & gloria. Amen.

An-

*Antiph.* Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine agni. Ideo sunt ante thronum Dei, & serviunt ei die ac nocte in templo ejus.

v. Exultate justi in conspectu Dei.

℞. Et delectentur in lætitia.

*Oremus.*

**D**OMINE JESU CHRISTE, cujus acerbissimæ Passionis & mortis meritis sancti Martyres *Ordinis nostri* abundantem gratiam consecuti sunt, ut pro confessione Nominis tui sanguinem tuum fuderint: concede propitius, ut & nos eorundem meritorum abundantia, & *Martyrum nostrorum* intercessione, constanter fidem tuam profiteri, & semper mortificationem tuam, ô JESU, in corpore nostro circumferre valeamus. Qui vivis & regnas &c.

## EXERCITIUM VI.

### HYMNUS IV.

*Ad sanctos Pontifices, Doctores, & Confessores Ordinis Canoniorum Regularium.*

**A**Vete lacri *Præsules,*  
*Antistites* justissimi,  
Iter salutis invium  
Qui reddidistis pervium,  
Virtutis almæ semitam  
Qui tradidistis gentibus,

Qui

Qui veritatis candidæ  
 Pugnâstis ob sententiam.  
 Tot impiorum dogmata  
 Tot inquinatas hæreses,  
 Sermone, signis, moribus  
 Nostro fugâstis climate.

*Avete Canoniarum*

Claustrique mites incolæ,  
 Qui pertulistis impios  
 Cætus furentis tartari.  
 Gemmas & auri pondera  
 Et dignitatum culmina  
 Calcâstis & scædissima  
 Quæ mundus offert gaudia.

Rebus procul mortalibus  
 Mens evolabat fervida,  
 Divûmque juncta cœtui  
 Hærebat inter sidera.

Summo Parenti cœlitum  
 Magnæque proli Virginis,  
 Sancto simul cum Spiritu,  
 Sit summa laus & gloria. Amen.

*Antiph.* Sit memoria illorum in benedictio-  
 ne, & ossa eorum pullulent de loco suo, & no-  
 men eorum permaneat in æternum. *Ecclesiast.*

*46. cap.*

¶. Ecce quomodo computati sunt inter filios  
 Dei.

¶. Et inter Sanctos fors illorum est.

*Ort.*

Oremus.

**D**omine JESU Christe, cujus doctrinâ & exemplo Pontifices, Doctores, & Confessores mites & humiles facti, & requiem animabus suis in hac & in altera vita consecuti sunt: da nobis gratiam, eorundem vestigiis devotè ita hic insistere, ut demum ad æternæ quietis locum pervenire feliciter mereamur. Qui vivis &c.

EXERCITIUM VII.

HYMNUM V.

*Ad sanctas Virgines Ordinis Canonicorum Regularium.*

**A**Vete sacræ Virgines,  
Pares beatis mentibus,

Quæ puritate sidera  
Solisque flammæ vincitis.

Vos nil superbus terruit  
Vultu tyrannus horrido,  
Nec perculere barbaro  
Trajecta ferro viscera.

Non blanda mundi gaudia  
Flexere vos ô Virgines,  
Sed depulistis fortiter  
Carnis ferocis impetum.

Agnum proinde proximè,  
Quocunque pergitis, cingitis,  
Per vos cohors cælestium  
Novo resultat cantico.

Men-

Mentis perustæ maculas  
 Lavate rore mystico,  
 Ut puro corde lampades  
 Christo feramus obviam.

Summo Parenti cœlitum  
 Magnæque proli Virginis  
 Sancto simul cum Spiritu,  
 Sit summa laus & gloria. Amen.

*Antiph.* Cantabant quasi canticum novum,  
 & nemo poterat dicere canticum, nisi illa cen-  
 tum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt  
 de terra. Hi sunt, qui cum mulieribus non  
 sunt coinquinati, Virgines enim sunt, hi sequun-  
 tur agnum, quocunque ierit. *Apoc. 4. cap.*

ʒ. Adducentur Regi virgines post eam.

ʒ. Proxima ejus afferentur tibi.

*Oremus.*

**D**omine JESU Christe, sponse & singularis  
 amator castarum animarum, quas præ cæ-  
 teris sanctis in regno tuo peculiari aureolâ con-  
 decoras: Largire nobis gratiam, ut *Virginum*  
*sanctarum Ordinis nostri* vestigiis insistentes, ea-  
 dem quoque præmia consequamur. Qui vi-  
 vis &c.

## EXERCITIUM VIII.

### HYMNUS VI.

*Ad Omnes Sanctos Ord. Canon. Regul.*

**S**alvete cedri Libani,  
 Plantæ virentes *Ordinis.*

Quæ

Quæ prata nunc cœlestia

Impletis almo germine.

Vos *Trinitatis* gloria

Æterna circumplectitur,

Vos aura Matris Virginis

Mulcet piis favoniis.

Vos Angelorum curia

Cingunt choræ perpeti;

Et irrigant purissimi

Æternitatis rivuli.

O indytæ propagines

Vestros iuvate filios,

In valle mœsta debiles

Nos roborate. surculos.

Sit laus Patri cum Filio,

Simulque dulci Flamini,

Lati quibuscum vivitis

In sempiterno lumine. Amen.

*Antiph.* Sanctos suos magnificavit Dominus

in salutari suo: ecce enim ex hoc beatos illos dicent omnes generationes.

V. Latamini in Domino, & exultate iusti.

R. Et gloriamini omnes recti corde.

*Oremus.*

**D**Eus, qui glorificantes te glorificas, & in Sanctorum tuorum honoribus honoraris: concede propitius, ut qui Sanctorum *Canonicorum Regularium* gloriola merita colimus, eo-

I

runt

rum pia apud te patrocina sentiant us. Per Dominum nostrum &c.

*Oratio pro Ordine S. Augustini Canoniorum Regularium.*

**O**Mnipotens sempiternæ Deus, qui electos sanctos Possidonium, Gelasium, Frigidianum, Ivonem, Theotonium, Wilhelmum, Roschil densensem, Gilbertum, ut spiritum, cui *S. Augustinus* Episcopus servivit, in Ecclesia tua excita res, misericorditer elegisti, & diversas Congregationes in *Ordine nostro* ad multarum animarum salutem erigi voluisti: præsta quæsumus, ut omnes, qui contempto sæculo, sub sancto hujus Religionis vexillo militamus, sic despiciamus terrena, ut nos veros tantorum Patrum filios ostendentes, omnes tecum nostros crucifigamus affectus, & in hac vita solùm ad Religiosam perfectionem aspiremus, ut in futura æterna felicitatis coronam consequi valeamus. Qui vivis &c.

*Alia Oratio.*

**O**Culos misericordiæ tuæ, Domine, super *Ordinem S. P. Augustini Canoniorum Regularium* converte, & qui antiquos ejus Professores Patres nostros miris gratis & cælestibus donis exornasti, concede nobis, tot famulorum, quot in eo habuisti, meritis, gratiam eos imitandi, Martyrum constantiam & fortitudinem, Pontificum



ficum doctrinam & mansuetudinem, Confessorum mortificationem, Virginum puritatem amplectendi, & quia ipsi eidem instituto colla subdentes, quod & nos profitemur, de Tyrannis, diabolo & se ipsis victoriam reportarunt, fac nos ad eorum imitationem Regulam & Constitutiones nostras ita observare, ut tandem victoria potiti, aeternâ vitâ perfruamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

## INDICULUS

Quorundam Sanctorum ex Can. Reg. Ordine, quorum piè imploratum patrocinium varia beneficia praestat.

**S.P.** *Augustinus*, contra dentium dolores, & ipse hoc malo in juventute sua acriter excruciat.

**S.** *Aquilinus Martyr*, contra Pestem.

**S.** *Benno Misnensis Episcopus*, Monacensium Thaumaturgus, contra varios morbos.

**S.** *Bernardus Mentonius*, Archi-Diaconus Augusto-Pratorianus, contra locustas & alia animalcula, frugibus terræ nocentia.

**S.** *Evortius Aurelianensis Episcopus*, contra Dæmones, incendia, & pro animarū conversione.

**S.** *Flavidus Tiphnetensis Episcopus*, contra Pleuritidem.

**B.** *Hartmannus Brixinensis Episcopus* in Comitatu Tyroleos, pro felici partu.

*S. Leander Hispalensis Episcopus*, contra Podagram.

*S. Malachias Conerethensis Episcopus*, contra Pestem.

*B. Maria de Oegnies*, contra Herniam.

*B. Martinus Bergomensis*, pro felici partu.

*S. Mochua Episcopus*, contra icteritram sive Auriginem.

*B. Mechtildis Dieffensis*, contra aëris tempestates.

*B. Petrus Arbuesius Martyr*, contra Pestem, & spiritus immundos.

*V. P. Petrus Forerius*, Iotharingiæ Thaumaturgus, contra varios morbos.

*S. Raymundus Tholosanus*, Abbas S. Saturnini contra Pestem.

*S. Obaldus Eugubinus Episcopus*, contra veneficia & pro energumenum liberatione.

*Oratio contra quosvis morbos.*

**R**ecordare Domine testamenti tui, & dic Angelo percutienti: cesset nunc manus tua, & non desoletur terra, nec perdas omnem animam viventem.

*ψ.* Adjuva nos Deus salutaris noster.

*R.* Et propitius esto peccatis nostris.

*Oremus.*

**D**eus refugium nostrum & virtus, adesto piis Ecclesiæ tuæ precibus auctor ipse pietatis & præsta: ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum nostrum &c.

PARS

# PARS II.

Complectens Alimenta pietatis pro  
Oratione mentali.



## PRÆLOGIUM.

**E**Xhibitis tibi mi *Augustinophile* priori Parte, ad colendum *Oratione vocali S. Augustinum*, Pietatis Alimentis: in hac altera Parte illa suggero, quæ pro *Oratione Mentali* tibi inservient, ut iisdem spiritus tuus, ceu *ignis*, in sacra *Meditatione* cum *Iesæo Vate*, si non exardescat, saltem foveatur. Quod si Religiosus sub *S. Augustini* vexillo Deo militans es, uti poteris his Alimentis, siue *Meditationibus octo* illis diebus, qui *Natalibus S. Legislatoris tui Augustini, S. Monice*, ac *Sanctorum Canonorum Regularium* sacri sunt, & quidem eo tempore, quod aliàs ex legum tuarum præscripto singulis diebus *Orationi Mentali* impendendum tibi est. Verùm cùm *Meditatio* non *speculativa* tantummodo, hoc est, sistens in *contemplatione*, sed *practica* esse debeat, juxta illud *S. Ambrosii (a) Meditationes*  
*pra-*

præceptorum cælestium intentio vel finis, operatio est, fructusque præcipuus sacrae Meditationis sit, ut voluntas nostra per peccatum originale depravata, ad malum proclivis, & ad bonum difficilis, ad id, quod faciendum, vel cavendum efficaciter moveatur, *Documenta* è singulis ferè Meditationum punctis deducta, Sententiis è *S. Augustino* stabilita, nec non exemplis domesticis roborata subjunxi, lectioni æquè ac praxi usui futura, authoritatibus semper in fine pro majori, & orantium & legentium commoditate positis. Id modò age mi *Augustinophile*, ut *Meditatio cordis tui sit in conspectu Dei semper.* (b)

(a) In Psal. 118. (b) Psal. 18. v. 15.



CULTUS I.  
S. AUGUSTINO SACER.  
EXERCITIUM I.  
MEDITATIO I.

*De Conversione Sancti Augustini.*

Convertere ad Dominum, & relinque peccata  
tua. *Eccles c 17. v. 21.*

*Premissa loci constitutione, imploratæque gratiæ  
divinæ, quod in singulis subsequenti-  
bus tenendum.*

PUNCTUM I.

**E***Xpende. Augustinum* natum Tagaste in A-  
frica, tenui municipio, parentibus tamen  
honoratis *Patritio & Monica*, inde jam à  
prima atate ingenii præstantiâ inter coætaneos  
quidem ita excelluisse, ut omnes libros artium  
liberalium seipso intellexerit, attamen ad annum  
usque 33. quo sacro fonte ablutus fuit, variis  
jactatum erroribus, impuris amoribus constri-  
ctum, nec non aliis vitiis immersum fuisse.  
Compedes isti erant, qui ipsum à vitæ malè ha-  
ctenus traductæ emendatione detinebant. Con-  
versionis porrò non minimam remoram posuê-  
re 1. Ingens sciendi cupiditas, maximè Reli-  
gionis nostræ arcana, quæ magno ingenio suo  
ac humana perspicacia penetrare nitebatur, in-  
te-

terim ipse laborans ignorantia sui ipsius, cum sapientia cœlestis, quæ vera est, magis invenitur in delectatione rerum cœlestium, quàm in scientia. 2. Curiositas junctâ arrogantia, & aestimatio proprii ingenii & scientia. Unde obstinate ruendo suum errorem, ne confutaret suum lapsum, prolabebatur in plures. 3. Emendationi quoque obstaculum erat malus amoris usus, quem cum Deo deberet, donavit creaturis & societati malorum innexus, tam excellere vitiis volebat, quàm excellebat scientia. *Pudebat ipsum inter impudentes non esse impudentem.*

## Documenta.

**D**isce hinc, ô Religiose Canonice! 1. Nullum esse vitium, quod se animam stupidam ad divina efficiat, ut efficit Impuritas. Nulla virtus, nulla bonitas, inquit, damno suo edoctus S. P. N. (a) nulla sapientia cum luxuria stare potest, nulla justitia, sed omnis perversitas in ea regnat. *Disce 2. mundum, id est, illos devitare, quorum, ut loquitur S. P. N. vita hic est: id est, quorum desiderium & amor hîc hæret, hîc implicatur, sive ut alio in loco (c) explicat, qui vivunt secundùm concupiscentiam mundi, & non sunt in ea sorte gratia, ut à Deo eligantur ex hoc mundo. Neque enim in una sede morantur amor Dei & amor mundi. Deus integrum sibi amorem impendi expascit. Solus vult diligi, inquit Doctor Clarevallensis (d) non*

vult confortem habere in amore, qui parem non habet in dilectionis retributione. *Neque porro is perfecte mundum fugere censendus est, qui non aequè consortia hominum secularium declinat.* Quædam omnino fugere debes, scribit *pietissimus noster Thomas de Kempis* (e) ut fabulas leves & sæculi rumores, homines sæculares, mulierum allocutiones, amicorum visitationes, hospitum salutationes, quæ a ista distrahunt mentem, & maculant conscientiam, & qui talibus delectatur, ab æternis bonis minoratur. *Hujusmodi mundi fuga exitit V. P. Albertus de Altissimis ex Congregatione Lateranensi Can. Regularis, qui, ut refert in illius vita R. D. Paulus Æmilius Saracenus noster* (f) *cœnobium S. Bartholomæi Vicentinum, in quo Religiosum Canonicum agebat, semel ingressus, per annos duos supra quinquaginta nunquam amplius nisi ad publicas supplicationes cum cæteris suis Canonicis egressus est. B. Menendus Lusitanus noster, Prior ad S. Salvatorem de Ribas, nunquam è cubiculo, non dicam, ex cœnobio pedem movit, nisi id cultus divinus aut obsequium Dei exposcerent.* (g)

## P U N C T U M II.

**E**Xpende. Divinam bonitatem in Conversione *Augustini* elucentem, quæ præter internos instinctus ac impulsus varias *Augustino* seriæ respicientiæ occasiones objecit. 1. Mortem amici cujusdam ab eo perverſi, quam animatus lu-  
ge-



gebat. 2. Narrationem conversionis ab idolis ad veram Christi fidem Victorini Oratoris celebrari, & quidem in senectute. 3. Trium famulorum Imperatoris ex lectione vitæ S. Antonii ad statum Religiosum amplexandum inductionem. 4. Denique Conciones & privata colloquia S. Ambrosii Mediolanensium Præfulis, qui & illum ut Pater complexus est, fecitque sibi amicum; sed quia facundiam in ejus Concionibus magis spectabat quàm salutem & verum animæ fructum, assurgere è cœno vitiorum ac pravarum consuetudinum nondum poterat, validiore ariete adhuc opus fuit.

Documenta.

**D**isce ô Religiose Canonice, quo animo sacre exhortationes audienda, qua intentione libri pii evolvendi ac legendi, scilicet non ex curiositate, aut ut inde doctior evadas, sed ut perfectior, & sanctior fias. Quærere debes ex mente Thomæ Kempensis tui (h) utilitatem in Scripturis, non subtilitatem sermonis. Disce porro Sanctorum, Domesticorum præsertim, exempla non mirari tantum ceu ad te non pertinentia, sed pro modulo tuo imitari, ne, dum hic te segnem ac negligentem ostenderis, juxta illud aureæ eloquentiæ Oratoris apophtegma (i) crimen incurras. quòd, cum haberes exemplum domesticum, virtutem non sis imitatus.

PUN.

## PUNCTUM III.

**E**xpende. Locum conversionis *Augustini*, quæ facta est sub ficu horti, ædibus illis conjuncti, in quibus cum familiaribus quibusdam Alipio & Potitiano degebat: in horto quidem, ut hortus *Augustino* esset initium salutis, qui Protoparentibus nostris *Evæ* & *Adamo* fuerat exordium perditionis: sub ficu verò, ut *Augustino* in mentem revocaret Deus execrationem illius ficûs, quàm *Christus* reperit solis ornatam foliis citra fructum; ideòque ignibus adjudicatam, ne talis ille esset, vel certè ideò sub ficu, ut sicut sub illa teste *Isidoro* (k) *Tauro* demittitur lascivia, ita & in *Augustino* decederet libidinis æstus, ex arboris salutiferæ, *Dominica* scilicet crucis, virtute occulta, quæ vel maximè valet prurium voluptatis fœdæ extinguere.

## Documenta.

**D**isce ô Religiose Canonice, in cœnobio tuo, cen in fructifero horto, arbor esse non sterilis, aut folia duntaxat habens, sed fructus uberes pie conversationis, veræ mortificationis, & aliorum bonorum operum tempore suo proferens, ne inutiliter terram, hoc est, locum in monasterio occupans, inde excidaris & in ignem mittaris nunquam inde eximendus. Quòd si porrò & tu à domestico tuo hoste, carne scilicet: tenteris, sub ficu, id est, sub crucis arbore, te prosterne, ac illius

lius opem & gratiam ferventer implora, qui in illa serpentem antiquum, qui est diabolus, feliciter devicit.

## PUNCTUM IV.

**E**Xpende. Luctam Augustini tum carnis, tum spiritus sub ficu. Impellebatur divinitus ad conversionem misericordii timoris & pudoris flagello: hæsitabat mori morti, & vitæ vivere, plusque valebat in ipso deterius inolitum, quàm melius insolitum. Retinebant ipsum *Nuganugorum*, & vanitates vanitatum, nimirum antiquæ voluptatis illecebræ, quæ ipsius menti identidem obversantes submurmurabant: *Dimittisne nos Augustine, & à momento isto non erimus tecum in æternum? & à momento isto non licebit hoc vel illud ultra in æternum?* Interstrepbat quoque prava consuetudo, castimoniam viam difficilem objiciens; quas difficultates tamen casta dignitas continentiam procul esse iussit, exempla utriusque sexus, etiam nobilissimorum quorumcunque omnis ætatis, qui castitati servandæ se obstrinxerant, adducens, non sine exhortatoria irrisione, *tu non poteris, quod isti & iste? Projice te in Deum, noli metuere, non se subtrahet, ut cadas, excipiet te, & sanabit te.*

## Documenta.

**D**isce ô Religiose Canonice, *in rebus arduis, maxime ad salutem tuam pertinentibus, tuis non fidere viribus, sed ad illum recurrere, qui est*  
ma.

magni Consilii Angelus, atque ab illo, quid statuendam, quid faciendum, pete, uti magno suo commodo fecerat religiosissima Virgo Paula Merendin Parthenonis Inzchoviani in Suevia Canonissa Regularis, qua inconsulto, sub Eucharisticis speciebus latente Deo, imploratoque ejus auxilio occipit nihil. Opere dein peracto ad templum rediit, gratias illi actura, qui perficere dedit. (1) Morem hunc laudabilem æque tenuere sæculi & Ordinis nostri duo lucentia sidera Petrus Forcivius & Alanus de Solminihac, quorum uterque actiones suas non nisi consulto prius supremo Numine in Eucharistia existente, auspiciatus fuit.

## PUNCTUM V.

**E**xpende. Miserantis Dei misericordiam, Cor Augustini emollientis. Repletus enim amarissima cordis contritione Augustinus, lachrymis quoque ubertim ex oculis fluentibus, vocem quandam è domo vicina ceu cantantis pueri, aut puellæ ingeminantis audit, *Tolle lege, Tolle lege.* Cantum hunc non alicujus hominis sed Angelorum fuisse, res dubio caret. Imitantur hæc Angeli vocem puerilem, quia revera similes pueris illi sunt, qui consilium salutis negligunt capere, deque rebus feriis, unde pendet æterna salus, nihil certi statuunt, uti Augustinus in præsentiarum, quoad vitæ delectum varius, inconstans, nuncque hoc volens, nunc idem nolens. Repetitur autem bis quaterve eadem vox, quasi

quasi panē submersus lacrymis, & ab usu sensuum absorptus, cœlestem nuntium animadvertere una vice vix posset. At surdus minimè fuit ad vocem vocantis Dei *Augustinus*, sed concito gradu rediit ad illum Lectum, ubi posuerat Codicem Apostolicum, cùm inde surrexerat: illum arripit, aperit, & legit in silentio Capitulum 13. ad Rom. quò primum coniecti sunt oculi, videlicet istam periodum v. 13. *Non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudiciis, non in contentione & emulatione, sed induimini IESUM Christum.* Quæ verba tanquam sibi dicta tam altè animo ejus infederant, ut non diutiùs Conversionem suam differre ratus, manus Deo suaviter trahenti, dederit, baptizari, mundum relinquere, castè ac sanctè vivere decreverit, magno Angelorum de uno peccatore pœnitentiam agente, gaudio, maiori S. Ambrosii lætitia, maximo denique *Matris Monicæ*, nihil nisi salutem Filii sitientis, solatio. Obstupesce ô Religiose Canonice, *opera Dei*, mirabilis non minus quàm *terribilis in consiliis super filios hominum.* (m) Gratias age Deo ob gratiam Conversionis Legislatori tuo concessam, ac ei gratulare. Roga quoque sanctum, ut & tibi perfectam morum conversionem impetret, quò totum te Deo dedas, vincula pravarum cupiditatum tuarum ac mortificationum passionum rumpas, ne sub habitu Religio-

ligioso cor mundanum geras, & cum mundo mortuus esse debeas, mundus in te vivat, atque floreat: Monstri certè similior est Religiosus, qui negotiis sæcularibus & curis hujus sæculi implicatur.

## Documenta.

**O** Religiose Canonice, Augustini exemplo edoculus, sacrorum librorum lectionem maxime, usque quotidiano familiarem tibi facias, pabulum enim & esca anima tuae sunt, subtrahendo hunc cibum, esuriens certè patietur illa. Panis noster, ex sententia S. P. N. (n) est verbum Dei, quod quando audis, aut quando legis, manducas, quando jam recogitas, ruminas. Sicuti verò, eodem teste (o) carnalibus escis alitur caro, ita ex divinis lectionibus interior homo nutritur. *Necessitatem sacrae lectionis explicans aureus Orator!* Non potest fieri, inquit, (p) ut quisquam salutem assequatur, nisi perpetuò versetur in lectione spiritali. *Et alio in loco* (q) Lectio & ratio sunt instrumenta, quibus aeterna beatitudo acquiritur. *Ut verò sacra lectio cum anima tua profectu instituatur, tria pro praesenti tibi observanda.* 1. Lectioni oratio praemittenda, vel saltem aspirationes ad Deum, vel ad Sanctos lectione sacra conversos. Paradigma sit. Domine, fac, ut hæc lectio sit cordi meo ita utilis & efficax, quemadmodum fuit illa S. Augustini, S. Joannis Columbini, S. Ignatii Lojola,

lae, ac aliorum Sanctorum, quos lectione libro-  
rum caelestium convertisti, accendisti, ac tibi  
perfectisti. 2. In ipsa lectione adhibenda est di-  
ligentia, ne animus alio avertatur, & distraha-  
tur. Lectio etiam nostra studium esse debet, non  
pura lectio, id est, lecta bene masticanda, & ru-  
minanda, atque obscuriora, ut probe intelligan-  
tur, bis terve legenda sunt. 3. Ut, quod lectum  
est, in memoria servetur; annotetur in charta,  
& exprimatur in vita. Nec enim lectorum il-  
licò obliviscendum, sed in memoria thesauro re-  
condendum, quod legitur, atque vel maximè in  
vita & moribus nostris exprimendum. Tunc  
enim, mellifluis Doctore teste, proderit Scriptura  
legenti, si quod legerit, opere compleatur.

(a) Serm. 47. ad FF. (b) Super Ps. 141. (c) Tract. 107.  
in Ioan (d) Serm. de Cena Dom. (e) In Novitiorum dia-  
logo. (f) lib. 2. c. 5. (g) Pennot. lib. 2. cap. 61. num. 3.  
(h) lib. 1. cap. 8. (i) Tract. inter mot. pag. 26. (k) lib. 7.  
orig. c. 6. (l) Ex documentis illius Monasterii ad me trans-  
missis. (m) Ps. 65. (n) in Psal. 36. conc. 3. (o) Serm. 12.  
de temp. (p) Hom. 3. de Laz. (q) Hom. 1. in Matth.



K

EXER.

## EXERCITIUM II.

## MEDITATIO II.

*De vita S. Augustini post Conversionem.*

Hoc scientes, ut ultra non serviamus peccato.  
*1. ad Rom. c. 6.*

## PUNCTUM I.

**E**Xpende. *Augustinum* sacro Baptismate, ad quod se jejuniis, orationibus, aliisque piis operibus pararat, ab Ambrosio ablutum, vitam exin egisse omnibus numeris absolutam: nec amplius in priores laqueos dæmonis, mundi ac carnis, à quibus antehac interceptus fuerat, recidisse, imò à Deo lumine adèd penetratìvo donatum, ut & ipsos quidem mali ac peccati atomos detegeret, atque animam suam, semel sanguine Agni innocentem effectam, nullo unquam crimine deturpasse, quod in libris Confessionum non obscure insinuat, in quibus etiam minimorum se accusat tanquam peccatorum suorum, qualia sunt, quod parum temporis inutiliter insumpserit, araneam, muscam captantem, curiosius aspexerit, cantu Ecclesiæ plùs nimio oblectatus fuerit, quod fabulas Poëtarum, sicut fabulam *Aneæ* libenter adhuc puer legisset, & *Didonem* mortuam propter amorem deplorasset.

Do.



## Documenta.

**D**isce, ô Religioſe Canonice, qui ex mente omnium Doctorem ſub reatu peccati mortalis ad perfectionem, tuo ſtatui congruam, tendere teneris, curam minimarum ſuſcipere tum in ſervandis omnibus regulis minimis, tum in fugiendis parvis ad ſpeciem defectibus, tum in mortificandis pravis ſenſuum ac paſſionum propenſionibus. Graviter etenim juſtitiam divinam in leves etiam tranſgreſſiones atque per plures ſubinde annos in purgantibus flammis animadvertiſſe, varia docent hiſtoria. Refert Godeſchalculus Holken gravis author (a) de quodam Canonico Regulari S. Auguſtini ac Cellario Monafterii S. Ruſi prope Valentiam, viro alias devotiſſimo, ob nimias tamen occupationes rerum externarum, pro gratiarum actione, à prandio loco Pſalmi Miſerere mei Deus recitare ſolito breviorẽ Pſalmum, Laudate Dominum omnes gentes: excitãſſe ipſum poſt mortem in officina ſua cellaria ſepius terrificum tumultum: ſerſcitatum verò a quodam note ſanctitatis viro cauſam tumultus ac pœna, ingenuò faſſum, maximis ſe cruciari ſuppliciiſ ea ſolummodo de cauſa, quòd loco Miſerere recitãſſet Laudate. Petiſſe deinde, ut a Con-Canoniciſ ſuis integro anno diceretur in expiationem Pſalmus quinquageſimus. Quod ubi factum, elapſo anni curriculo è flammis piacularibus ipſum

148 Pars II. Alim. Piet. Augustiniana  
liberatum fuisse. Author quoque est Thomas  
Cantipratanus (b) Hugonem nostrum de S. Victo-  
re, ob scientia eminentiam aeo suo alterum Au-  
gustinum appellatum, post mortem igni expiato-  
rio addictum fuisse, pœnas daturus, quod, dum  
viveret, ob teneriorem corporis complexionem  
communes in Capitulo vel privato cubiculo pœni-  
tencias (disciplinas vocans) pro quotidianis de-  
fectibus subire omiserit. Alii alias ob causas post  
mortem gravissima luerunt supplicia, scilicet pro-  
pter nimiam in novis adificiis extruendis sollici-  
tudinem & curiositatem, alii propter immodicam  
rerum temporalium & quæstus ampliandi curam.  
Quidam quod Ordinem Diaconatus inquietè am-  
biverit. Alius propter vanam gloriam, quam  
habuit in cantando, plures alii propter leves alias  
culpæ, ut quia in divinis officiis distracti parùm  
fuerunt & indevoti, aut inclinationes non sat  
profundas fecerunt, vel superioribus suis subin-  
de molesti fuerunt, aut secularibus, consanguineis,  
& amicis familiariores, aut silentii viola-  
tores, nimiumque garrali &c.

#### PUNCTUM II.

**E**Xpende. Augustinum ex Italia Roma in Afri-  
cam Tagalten ad proprios lares reversum,  
duxisse cum amicis suis vitam socialem ac verè  
piam, vacando jejuniis & orationibus, scriben-  
do libros & docendo indoctos in fide: inde ve-  
rò ob virtutis & doctrinæ famam, quæ ad ple-  
bem

hem Hipponensem imò totam Africam pervernerat, cum in ea urbe, amicum quendam invisurus, moraretur, à civibus illius civitatis, haud dubiè divino instinctu, arreptum, atque Valerio Episcopo suo, Presbyterum ordinandum, oblatum fuisse. Qui illum non sacerdotio duntaxat initiavit, sed regimini Parochialis Ecclesiae Hipponensis, quæ una tantùm erat, præfecit, licet invitum, ac multas lachrymas fundentem, utpote quem non latebat *periculosissimum esse hoc ministerium*. Flebat, attendendo sublimitatem, arduitatem, & sanctitatem illius muneris ac oneris, cui se imparem existimabat. Flebat, quia præteritæ vitæ crimina nondum satis se eluisse putabat, ut alios à vitiis revocaret, nondum se satis purgatum, ut alios purgaret, nondum ad eam sanctitatem pervenisse, quâ alios sanctificaret. Quare à Valerio summis precibus contendebat, ut quadragesimæ tempore ipsi liceret à consueto feriari negotio, quo posset in quiete sese ad munus, officiumque suum disponere, *legendo, orando, plangendo*.

### Documenta.

**D**isce, ô Religiose Canonice, cum magna cautela officium Pastorale suscipere, quod S. Augustini exemplo edocti quidam Canonici Regulares cautè ac ægrè susceperunt, vel omninò

renuntiârunt. Cateris quippe negotiis, *juxta nostrum B. Laurentium Justinianum* (c) magis periculolum est regimen animarum, atque ad illud, prout oportet, ministrandum, difficillimè quisque reperitur idoneus. *Præ oculis quoque habent Prælati præclarum illud monitum S. Ivonis Carnotensis nostri* (d) Ut admoveant ad officium Pastorale eos, qui in Collegio Canonico viri prudentes sunt & maturi, ac igne tentationum examinati, sic enim Canonica institutio nulla dispendia patietur.

## P U N C T U M III.

**E**Xpende. *Augustinum* factum Presbyterum, seu Rectorem, Parochum & Curionem (hæc enim omnia nomen *Presbyter*, asserente P. Nicolao Desnos nostro (e) sonat) Monasterium primum Clericorum in horto, sibi à Valerio concessò, instituisse, atque cum iisdem in communi sine proprio, in continentia & obedientia, *voto simplici* (uti fusè probat laudatus P. Desnos (f) firmatis, secundùm Regulam à S. Apostolis constitutam, vitam traduxisse, omniam ipse sanctè ac religiosè vivendi norma ac paradigma factus. Vigeabant verò in eo Monasterio observatio votorum, studium orationis & lectionis sacræ, audiebantur colloquia non profana, quæ corrumpunt bonos mores, sed edificatoria, aderat usus frequens jeuniorum ac reliquorum bonorum, & Deo placentium operum  
exerc.

exercitium. Verbo, omnia spirabant sub tanto Ductore & Doctore sanctitatem. Nec negligebatur salus proximi, quam sacris exhortationibus, nec non Sacramentorum administratione promovere saragebant. Unde monasterium illud domicilium virtutis ac doctrinae, evasit, ex quo Clerici non solum pro Ecclesia Hipponensi, sed etiam pro aliis Africae Ecclesiis, imò plures Episcopi assumpti sunt, qui & illi in suis civitatibus exemplum S. Augustini imitantes, similia Collegia passim erexerunt.

### Documenta.

**D**isce, ô Religiose Canonice, S. Legislatoris tui, & primorum ejus Clericorum exemplo, in monasterio, quod juxta Oratorem Constantinopolitanum (g) est lugendi domus, pie ac religiosè vivere. Cogita ex mente S. Patris tui (h) duas res te esse professum, sanctitatem & clericatum, sanctitatem quidem interiùs, clericatum verò exteriùs & propter populum. Attende, statum religiosum esse statum poenitentiae, afflictionis & crucis, qua in spirituali atque assidua nostrorum sensuum ac animi passionum mortificatione consistit, juxta illud D. Pauli (i) Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes. Sequere doctrinam Doctoris tui (k) circa actiones à te exercendas: Hoc est opus nostrum, inquit, in hac vita, actiones carnis spi-

ritu mortificare, quotidie affligere, minuire, franare, interimere. Hæc est actio nostra, hæc militia nostra.

## P U N C T U M IV.

**E**xpende. *Augustinum*, partes boni animarum Pastoris obeuntem, vigilasse super Parochianos curæ suæ commissos, ut eos à peste hæreseos, quæ in Africa tum temporis serpebat, præservaret, verbi divini pabulo ac sacro Eucharistico pane pasceret, nec non pauperes alimentis corporalibus charitate abundantè reficeret, nec ipsis cultui divino sacratis vasis parcens, si necessitas ad nutrienda Christi membra id exigeret. Hinc charitate plenissima sunt verba illius, quibus se ac alios animarum Curatores stimulat. *In Deo*, inquit (1) *amate animas, rapite ad eum vobiscum, quas potestis, & dicite eis, hunc amemus, hunc amemus: Ipse fecit omnia, & non est longè. Intimus cordi est, sed cor erravit ab eo. Reddite prævaricatores ad cor, & inberete illi, qui fecit vos, state cum eo, & stabitis. Requiescite in eo, & quieti eritis.*

## Documenta.

**I**Mitare Legislatorem tuum, ô Religiose Canonice, *cujus munus, imo centrum est, ex mente Illustrissimi simul & Religiosissimi Alani de Solminiaco Episcopi Cadurcensis nostri (m) esse vel in choro, ut divinas laudes concinnas, vel ad*  
aram,

aram, ut Sacrificium Missæ offeras, vel in suggestu, ut vitio bellum moveas, & inimicos Jesu Christi gladio verbi divini expugnes, vel in homologeterio, ut peccatores convertas, eorumque animas in sacro pœnitentiæ lavacro emundes. Tu quoque Religiose animarum Curator, qui fortè in pago aut oppido vel in monasterio expositus es, ut Parochi munere fungaris, lege Epistolam 148. Legislatoris tui ad Valerium, quæ tota in instruendo Parocho est, quam tui gratiâ in fine libelli hujus posui. Eâ quippe Epistola doceris, ministerium tuum exercendum esse petendo, quarendo, pulsando, id est, orando, legendo, plangendo. Moneris etiam secessum aliquando petere, quo in otio contemplationis ad negotii regiminis te accingas. Qui quidem secessus corporalis aliquando, mentalis verò semper Paraco necessarius est, sistitque in horrore seculi vanitatum, ludorum detestatione, convivorumque fugâ.

## PUNCTUM V.

**E**Xpende. Augustinum, dum in Monasterio domi exercitio virtutum, piis meditationibus ac sacris lucubrationibus, extra illud foris subditarum sibi ovium salutem, tum concionibus, tum privatis adhortationibus & administratione Sacramentorum indefesso labore vacat, dum Pelagianos, Manichæos, Donatistas, ac reliquos hujus futuri hæreticos è suggestu in Ecclesia, & in publicis confessibus disputando refutat, ac

vincit, à Valerio Hipponensium Præsule in Episcopalis muneris coadjutorem prius, tum in successorem constitutum esse, approbante consilium hoc Megalio Calaminensi Episcopo, Numidia tum Primatè, atque *Augustinum* solemni pompa Episcopum inaugurante. Ut verò invitus Presbyterium, ita agerrimè Episcopale munus suscepit, cùm quia verebatur pro aliis coram Deo reddere rationem, tum quia id contra morem Ecclesiæ esse, ac decreto Concilii Niceni repugnare credebat, vivente Episcopo alium simul consecrari.

### Documenta.

**D**isce, ô Religiosè Canonice, *non ambire dignitates, nec adspirare, ut ad officia promovearis: Locus enim superior, expertissimo teste Augustino (n) sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur, atque administratur, ut decet, tamen indecenter appetitur. Imo & periculosè, nam quantò quis in loco altiori, ut monet Regula nostra (o) tantò in periculo majori vertatur. Nota est illius Canonici Regulæ S. Aug. ad S. Victorem Parisiensem apud Cantipratanum sententia: Si fuisset de numero Prælatorum, fuisset de numero damnandorum. Ita nimirum teste S. P. N. (p) quæ hîc honorant, ibi onerant, quæ hîc relevant, ibi gravant. Applicari certè possunt illa, servata propor-*



Cult. I. Med. II. de vita S. Aug. post Conv. 155

portione, quibuscunque superioribus, quæ de Romanis Pontificibus olim pronuntiaverat, & ipse ex Canonico Regulari Monasterii S. Rufi propè Avenionem ad hanc maximam dignitatem assumptus Adrianus IV Nicolaus Hastifragus ante dictus. Romano Pontifice neminem esse miserabiliorem, conditione ejus nullâ miseriorem, totius ejus vitæ lætitiâ & felicitatem, esse amaritudinem. Cathedram Romani Pontificis esse spinosam, iter undique confertum aculeis, pondus tantæ molis, ut robustissimos premar, & confringar humeros. *Disce quoque sacrorum Canonum ac laudabilium Ordinis & Monasterii tui consuetudinum esse sedulus observator, haud verò otiosus neglector.* Qui timet Deum, nihil negligit. (q)

PUNCTUM VI.

**E**Xpende. Augustinum sacra tiara redimitum, ut in Episcopali dignitate religiosæ vitæ tenorem commodius servaret, extruxisse in domo Episcopali alterum Clericorum Regularium monasterium, quos æquè ad Apostolicæ vitæ normam, præscriptis quibusdam Regulis ac legibus, quarum initium: *Hæc sunt, quæ ut observetis in monasterio, constituti*, dirigebat. Cum his vivebat eâdem mensâ & eâ frugali, in qua præter olera & legumina in adventantium hospitum gratiam, & propter imbecillium infirmitates subinde carnes apponebantur. Hæc,  
ut

ut non minùs animi reficerentur quàm corpora, condiebatur vel sacra lectione, vel de divinis Scripturis disputatione. Ad hanc pendebat distichon seu lex quadam, detestans maledictiam & obrectationem in absentes, à quo malo sic abhorruit, ut interdum nec Episcoporum authoritati cesserit, quin minaretur à menta le surrecturum, nisi à talibus fabulis temperarent. Vasa, in quibus cibus & potus mensa inferebantur, erant lignea vel testacea, vel etiam marmorea. Vestis ejus extra Ecclesiam præter togam talarem albam, erat tunica lineæ & byrrhus, intra Ecclesiam Cappa Episcopalis, reliqua calceamenta & lectualia, quæ ex communi vestuario accipiebat, pari modo ex competenti & moderato habitu erant, nec nitida nimium, ceu abjecta plurimum, utpote qui non vestibus, sed moribus Sanctis placere cupiebat. Diem totum precationibus, sacrificio, doctrina, disputationibus, audiendis causis, litibus componendis, confutandis hæreticis dabat, noctis partem bonam sacris lucubrationibus decidebat. Itaque factum est, ut non solum obeundis Ecclesiæ suæ negotiis sufficeret, verùm etiam alias Ecclesias vel oratione præsens, vel scripto absens, merneret, doceret, institueret, confirmaret. Clericorum suorum leviter delinquentium pœna erat admonitio, gravius peccantium oburgatio, desperatorum & insanabilium veluti capitale sup-

supplicium erat ejectione à contubernio piorum,  
Atque hæc erant munia Episcopalia Augustini.

Documenta.

**I**Mitare ô Prælate Religiose, *cujus officium sollicitudo, non celsitudo est, sanctum Patrem tuum.* *Reputa te non potestate dominante, sed charitate serviente felicem. Præbe te juxta Regula tua præscriptum subditis tuis bonorum operum exemplum, corripe inquietos, consolare pusillanimes, suscipe infirmos, patiens esto ad omnes, disciplinam & in te & in aliis libens habeto. Pro Regularum & Statutorum observatione (qua certissima ex mente Alani de Solminihac nostri ad cælum via est) esto zelosus, exactissimam alioquin propterea Deo rationem redditurus. Aliis te natum cogita. Qui enim imperant, serviunt eis, ex mente S. P. N. (r) quibus videntur imperare. V. P. Petrus Forerius nosser, Superioris sub D. Augustini Regula militantis tesseram esse, plus amari, quàm timeri, assererat. Hinc ipse Canonicos sibi commissos, ut Pater filios, diligebat, quibus cor ipsius semper patebat totum inflammatum, ut eo incalescerent, & ad bonum, amoris illiciti, attraherentur: neminem etiam imperioso ac severiore oris habitu ab se amandabat, sed veniente exceptos faciem habebat comiter, ut nullus non ad eum invisens in abscessione sibi persuaderet, magnâ se*  
apud

*apud ipsum gratiâ pollere. (s) Roga sanctum Legislatorem tuum, ut suum regendi homines in via virtutis spiritum, & tibi a Domino bonorum omnium largitore impetrare dignetur.*

(a) *Apud Hirnbaim. fol. mibi 226. (b) Lib. 2. Apum cap. 53. n. 19. (c) De Reg. Præl. cap. 1. (d) Epist. ad Gal. 69. (e) Lib. 3. cap. 44. (f) Lib. 3. cap. 27. (g) Hom. 39. ad pop. (h) Serm. de com. vita Cler. (i) Ad Cor. cap. 2. (k) Ser. 3. de Verb. Apost. (l) Lib. 4. Conf. cap. 22. (m) Lib. 1 c. 9. vita. (n) Lib. 29 de Civit. c. 19. (o) cap. 9. (p) Episc. 202. (q) Eccl. cap. 7. (r) lib. 19. de Civ. c. 14. (s) lib. 2. 4. vita.*

## EXERCITIUM III.

## MEDITATIO III.

*De Virtutibus nonnullis S. Augustini.*

*Quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei, Eccles. cap. 50.*

## PUNCTUM I.

**E**Xpende. S. Paulinum, *Divo Legislatore nostro per litteras familiarissimum, eundem vocare Lucernam super candelabrum Ecclesiæ positam, haud dubiè ob insignes virtutes, quibus S. Augustinus in vita præditus, Ecclesiæ orthodoxæ illuxit. Consideranda autem comprimis est ejus animi demissio ac humilitas, ceu reliquarum virtutum basis, & salutis nostræ Mater, uti eam indigitat R. P. Petrus Forerius noster,*

di.

dignissimus S. Augustini filius, ac ævo nostro Lotharingæ *Thaumaturgus*. (a) Patebat hæc, dum honores omnes & dignitates, earumque occasiones studiosè declinans, invitus in Presbyterum ob animi demissionem à Valerio Hipponensi Episcopo ordinatus fuit, Ejus insigne specimen dedit decem & tribus Confessionum libris, quibus sua peccata sæculis omnibus futuris patefecit, non solum Deo, sed hominibus quoque probro esse volens, nec tantum paucis quibusdam illius temporis, sed omnibus omnino posteris. Cùmque esset summo ingenio, non tantum severissimè scripta sua censuit, sed professus est, doceri velle ab aliis, promptus non minus esse *Discipulus* quàm *Doctor*. Eodem humilitatis ductu non tam præfuit, quàm subfuit primò sui instituti Clericis, dein civibus Hipponensibus: & non solum se gessit, acsi fuisset de sibi subjectorum numero unus, sed animo ac sensu seipsum depressit, aliisque se non tam imperare, quàm servire confessus est.

### Documenta.

**D**isce ô Religiose Canonice, hanc virtutem à Legislatore tuo, ad quam & verbis efficacibus frequenter te hinc inde in suis doctissimis libris hortatur. Si quæras: inquit, (b) quid primum sit in religione & disciplina Christi? Respondebo: Primum est humilitas, Quid secun-

cundum? Humilitas. Quid tertium? Humilitas. Et quoties interrogabis, toties hoc dicam, Humilitas. Sicut enim Demosthenes in eloquentia priores, secundas, tertias dedit pronuntiationi, ita easdem dabo humilitati in schola Christi. *Hec virtus summis in amoribus ac pretio fuit R. P. Petro Forerio nostro. Relucebat illa ex fronte ipsius, relucebat ex oculis, nunquam non humum versus dejectis; ex ore etiam, nunquam ad laudes suas aperto; ex vestibis denique, ut dubium fuerit, veriúsne foret dicere, Petram humilitate vestitum esse, an verò humilitatem, ut in terris appareret, Patris Matincuriensis Personam induisse. Plura humilitatis à nostris exercita exempla adducere, angustia libelli hujus non patitur.*

## PUNCTUM II.

**E**xpende. Grandem Augustini zelum, quem quadraginta annis in procuranda Proximi salute prætulit. Episcopus multos abolevit abusus: libris & disputationibus convicit multos hæreticos, quos & convertit: succurrit magna liberalitate pauperibus, asseverans, officium Episcopi non esse, custodire aurum, & elemosynas petentium arcere manus, in quorum auxilia etiam argentum Ecclesiæ sit vendendum. Atque ne cuiquam defuisse videretur, undecunque se rectè facti alicujus occasio dedisset, id incomparabili suo in proximum amore perfecit, nul-

nullum declinans laborem in juvandis hominibus, nullam omittens occasionem procurandi divinum honorem, ubique fervidus, ubique consilio & auxilio, quoad posset, sublevans unumquemque, atque aded cives ac diocesanos suos, quos ipsemet invisebat, amans, ut D. Pauli instar, anathema pro Fratribus esse optârit. Hinc illæ ex zelo ipsius profectæ voces (c) *Nolo salvus esse sine vobis, nolo salvus esse sine vobis.*

Documenta.

**C**ura ô Religioſe Canonice: *ut in te vel minima saltem pars flagrantissimi zelus S. Legislatoris tui inveniatur. Ardeat in te, utar verbis D. Laurentii Justiniani (d) semper dilectionis flamma, quatenus calore tuo proximorum excutiat tepor, imò accrescat amoris incendium. Poteris planè inflammare cæteros, si fueris tu charitatis incendio concrematus, at si tu frigeas, si torpore jaceas, nullamque honoris divini & fraternæ amulationis sentias famem, quid proficies? Habeto itaque geminam charitatem, Dei videlicet & proximi, ut eodem, quo tu, repleantur spiritu, qui erudiantur à te. Ad hunc zelum capessendum instruunt te quoque verba S. Doctoris tui (e) scribentis: Unusquisque Christianus in membris Christi zelo domus Dei comedatur. Quis comeditur zelo domus Dei? qui omnia, quæ fortè ibi videt perversa, sata-*  
L git

git emendare, cupit corrigere, non quiescit. Si emendare non potest, tolerat, gemit. *Hoc animarum zelo aestuabat R. P. Carolus Faure noster, cui nequiquam sufficiebat seipsum ad perfectionis studium sanctitatemque stimulare, totis viribus adlaborabat, ut depravatos hominum, religiosorum præsertim in Gallia Ordinis nostri, mores corrigeret. Ipsius certè fervori primordia sua debet reformata Canonico-Augustiniana in illo regno, atque amplè propagata corrente hoc seculo Congregatio. Voluisset, si potuisset ex omnibus locis vitia profligare, eorumque loco virtutes implantare, tantumque efficere, quantum ille, qui eodem instigatus zelo dicebat. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. Obiit piensimè Parisiis P. Carolus 4. Novemb. anno 1644.*

## P U N C T U M III.

**E**Xpende. Tenerum simul & ardentem *S. Augustini* erga Deum amorem. Ut enim fermè ingenii sublimitas affectum reddit arduum (quia tunc vires animæ magis ad obsequium intellectûs quàm voluntatis conspirant) sic è diverso in *Augustino* cum sublimi intellectu coaluit pia voluntas, ut illa ardentissimo amore in Deum ferretur. Unde ipse hoc amoris telo vulneratum se testatur (f) his verbis: *Sagittaveras tu cor nostrum charitate tua.* Quibus verbis adducti nonnulli viri graves (g) cor *Augustini* non tantum spirituali vulnere seu tralaticio, verum etiam

arca-



arcanis facrorum vulnerum JESU Christi stigmati-  
tis lauciatum fuisse credunt: certè donatum ejus  
amori, quo totus in Deum ferebatur, totusque  
æstuabat, & facie ad faciem videret, saltem per  
transennam, objectum illud amoris beatifici,  
divinam scilicet essentiam, ut est in seipſa clare  
& intuitivè. (h) Discruciabatur porrò plurimum  
ob hoc, quòd divinam bonitatem ac pulchritudinem  
serius agnoverit. Unde cum gemitu exclamabat (i)  
*Sero te amavi pulchritudo tam antiqua, & tam nova, serò te amavi, &  
ecce intus eras, & ego foris, & ibi te quarebam,  
& in ista formosa, qua fecisti, deformis irruebam.  
Mecum eras, & tecum non eram. Ea me tenebant longe à te, qua si in te non essent, non essent.* Hunc divinum amorem spirant libri  
ejus ubique, ut proinde non eruditionem tantum,  
sed etiam ardentissimam charitatem inde quis possit  
ad se derivare.

### Documenta.

**O** Si & tu, ô Religiose Canonice, dicere posses  
cum Cherubico Patre tuo, non dubiâ, sed certâ  
conscientiâ. Domine amo te, percussisti cor meum  
verbo tuo, & amavi te. (k) Amor iste sit finis  
exercitiorum & actionum tuarum, ac terminus  
genuinus, ad quem aspire, & ad quem facilius  
obtinendum te à mundo & illius rebus abstraxisti,  
qua te à rectè amando potuissent

sent impedire. Dole de vita præterita, qua Deum non amasti, sed potius noxiis, & nihil pro futuris operibus te tradidisti: quorum partem majorem naturæ, proprioque amoris dedisti; nihil reliquum Deo faciens. Firmiter tene cum R. P. Petro Forerio nostro (l) perfectionem, imò sanctitatem perfectam in nullo alio statuendam, quam in desiderio reipsa existente, eoque insatiabili, Deo continuè in omnibus actionibus & operibus placendi. Sapiens ingemina cum Seraphino tuo, (m) amor meus, pondus meum, illo feror, quocunque feror. (n) Ad hunc divini amoris scopum collimabat cunctis actionibus suis, quæ nisi veri amoris actus erant, Alanus de Solminihac noster, ut Deo uniretur modis omnibus, qui in vita præsentis sunt possibiles, uti versando semper in ejus præsentia, incessanter cogitando de ipso, & ex toto corde suo eum amando, nec non sine interruptione pro majori ejus gloria laborando.

## PUNCTUM IV.

**E**Xpende. Augustinum amoris divini felicitate junxisse cultum Deiparæ, quam pietate ad eò singulari prosequatur, ut nihil scire, nisi Mariam, nil scribere nisi Mariam videatur: quem tenerum affectum diversis locis operum suorum testatus est, dum ejus merita orbi proponit, & commendat. In ejus laudem officium cum Antiphonis & Responsoriis ipsum composuisse nonnulli tradunt. Hanc unicam  
post

post Christum, spem peccatorum, præmiorum-  
que expectationem vocat. Ingens est, ait, mi-  
hi fiducia & amor in *Jesusum*, quoties ejus cru-  
cem & vulnera intueor, sed parem amorem ad-  
versus *Mariam* sentio, si ejus ubera, quæ Dei  
Filium lactârunt, mecum considero. Ita inter  
ubera & vulnera medius, quo me potius vertam,  
ignoro: aded me hinc Filii sanguis, inde ma-  
ternum lac allicit. Verba illius ita sonant;

*Hinc pascor à vulnere,*  
*Hinc lactor ab ubere,*  
*Positus in medio,*  
*Quo me vertam, nescio.*

Certè in tantum fiducia ejus in eandem Virgi-  
nem Matrem assurrexit, ut dicere ausus fuerit,  
se præ pietate Mariæ perire non posse, nisi spon-  
te velit.

### Documenta.

**I**mitare & tu ô Religiose Canonice, *magnam*  
*Encomiasten & Cultorem immaculate Virginis.*  
Cor ac cubiculum tuum ei consecra, in quibus-  
vis tentationibus ad sinum illius cen ad amantis-  
sime Matris recurre, ipsius opem, uti omnium  
Religiosorum Patronæ, implora, atque variis, à  
pietate dictatis exercitiis propitiâ eam tibi red-  
de: gravibus necessitatibus pressus ad illam tan-  
quam ad asylum securissimum confuge. Potestas  
enim ejus, uti *Alanus noster de Selminihac as-*

ferere solebat, incredibilis est, nec minor est  
 ejus nobis succurrendi voluntas. *Ipsam ama,*  
*quam colis, cole, quam amas.* Sed tunc eam  
 verè colis & amas, si imitari velis toto corde,  
 quam laudas. Ut verò in promptu sint tibi va-  
 rii modi ferventer amandi, colendi, & veneran-  
 di magnam Dei Matrem, Encyclopediam tibi  
 exhibet R. P. Philippus Kifelius Societ. JESU in  
 corona stellarum duodecim Bambergæ Anno 1672.  
 impressa. Reperies in ea mille ducentas praxes  
 in certas centurias distributas. Utere illis, ac  
 roga frequenter ipsam, ut velit esse mater Ordinis  
 Canonico-Augustiniani & filiorum ejus, tuque  
 illius ope in Dei gratia & in hoc Ordine persistas,

(a) In Proœmio Constit. Cong. salu. (b) Epist. 56. (c)  
 Hom. 28. c. 2. (d) Lib. de compunct. (e) Tract. 10. in Ioan.  
 post med. (f) lib. 9. Conf. 1. (g) Apud Corn. Lancil. in  
 vita S. Aug. lib. 3. cap. 43. (h) Refert id R. P. Simpli-  
 cianus Sant Martinius Ord. S. Aug. Regius Profess. SS. Theo-  
 log. Tolosanus n. 61. in vita S. Aug. apud Iacobum Lobe-  
 rium S. I. in Gloria Patri. In Augustino quest. 2. §. 5. (i)  
 lib. 10. Conf. c. 27. (k) lib. 10. Conf. c. 10. (l) lib. 2. vita  
 c. 3. (m) lib. 3. Conf. c. 9. 10. (n) lib. 3. c. 19. vita.



EXER-

EXERCITIUM IV.  
MEDITATIO IV.

De virtutibus Religiosis S. Augustini.

Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.  
Matth. cap. 19,

PUNCTUM I.

**E**xpende. S. Augustinum construenda bina Clericorum in communi sine proprio viventium monasteria imitari voluisse sanctos Christi Apostolos, quos vitam communem ac ceteræ Religiosæ vitæ substantialia, paupertatem scilicet, castitatem & obedientiam vovisse post S. Augustinum (a) S. Thomam (b) plurium Theologorum, Dominici Soti, Petro Paludani, Alphonsi à Castro, Gabrielis Penoti (c) Joannes Baptistæ Melegarii (d) constans est sententia. Paupertatis proinde ipsum exactum observatorem fuisse, ex sequentibus discet. 1. Nondum militiæ Clericali adscriptus, paternam domum ac agros quosdam, quos possidebat, vendidit pretio in pauperes distributo. 2. In victu & vestitu, uti & in aliis omnibus sectatus est auream mediocritatem, vestes accipiens ex communi vestiario: clavem vel anulum nunquam gessit: vestem sericam, byssinam aut vulgo pretiosam induere prorsus erubuit: & si quæ similis offerebatur, mox vendebat, pretio duntaxat in commune

redacto. Eadem virtus paupertatis elucebat in Episcopalibus ornamentis, *Pedo*, neutiquam ex argento vel auro, sed his longè vilior materia, *Mitra*, ex linteo albo duntaxat confecta. 3. Licet Episcopales redditus essent satis opimi, nihil tamen ex iisdem in sumptus aulicos, nihil in pompam inanem, nihil in amicos unquam derivari passus est, sed quidquid suæ, suorumque sustentationi superfuit, in pios usus impendit. 4. Testamentum nullum condidit, quia unde faceret, pauper Christi ampliùs non habuit. Jure merito proinde S. Mater Ecclesia *Amatorem Paupertatis* ipsum appellat.

### Documenta,

**D**isce, ô Religiose Canonice, *Paupertatem* in paupertate amare, quæ virtus Petro nostro Forerio (e) est prorsus heroica, atque murus fortissimus Ordinis nostri. *Vestes tuæ, supellex tua paupertatem redoleant. Illud quod vilius est, magis eligas: Superflua non habeas, imò in ipsis rebus necessariis defectum aut inopiam ludenti ac hilari animo sufferas; fucata quippe nimis imò nulla est paupertas, quæ nihil sibi deesse, omnibus affluere vult. Paupertatis amoretunicam novam nullam admisit B. Andreas Novaricenis à Congregatione Lateranensi Canonicus Regularis, nisi priore, quam unicam semper habebat, prorsus absoluta; pellibus verò ac materia pretiosiore,*

fiore, *Rassam* Itali vocant, nunquam fuit usus.  
(f) Non minori studio paupertatem sectabatur  
*R. P. Petrus Mutman* noster, *Præpositus* & *Archi-Diaconus Garsensis* in *Bojaria*, cujus tunica  
ut plurimum jam erat attrita, calcei simplicissima  
formæ, itaque alterius Religiosi usu nonnihil  
denovati. *Sarrocio* nulla inerat artis aut elabo-  
rationis singularis elegantia. Si quæ chartula aut  
ligni analecta in terram projecta erant, ne quid  
periret, ipse de terra sustulit, atque ad aliquem  
saltem usum convertit. (g) *Alanus Episcopus*  
*Cadurcensis*, ut verè pauper Religiosus diem clau-  
deret extremum, linteum, quo corpus ejus de-  
mortuum involveretur, eleemosynæ loco sibi a *Puel-*  
*larum orphanorum* superiore concedi postulavit.  
Quam nihil porrò redditum *Ecclesiæ suæ Cadurcen-*  
*sis* in nepotes & consanguineos suos expenderit,  
asserens se illorum non *Dominum* sed *Administra-*  
*torem* atque in usus pios vel pauperum dispensa-  
*torem* duntaxat esse, longum foret hic recensere,  
legi ea possunt in vita ejus. (h) Eiusdem cum  
*Alano* mentis erat *Claudius Sanctesius* è *Canoni-*  
*co Regulari Ebroicensis Episcopus*, rogatus enim  
à sanguine sibi junctis, ut pecunias aut quidpiam  
aliud ipsis daret, audacè id denegabat, pœnas  
*gehenna* causatus, quibus addicendus foret, si  
bona *Ecclesiæ*, quæ ipsius non essent, pro libitu  
in eorundem favorem elargiretur. (hh)

## PUNCTUM II.

**E**xpende. Castimoniam *S. Augustini*, quæ licet Manichæorum hæresi infectus pro libitu ac carnis æstu incautiùs in leges castitatis ac pudicitiaë impegisset, ad Deum tamen conversus omnes libidinis illecebras, earumque minutissimas occasiones studiosissimè devitavit, adeò quidem, ut nec sororem, licet Deo dicatam, nec propinquo gradu cognatas fœminas ad domesticum admitteret contubernium, & Collegia mulierum, quæ instituerat, rarò admodum inviseret, nec omninò cum ulla fœmina misceret colloquium, non præsentibus Clericis, aut aliis matronis, nisi forte quid esset arcani, quod unius auribus esset committendum.

## Documenta.

**I**mitare, ò Religiose Canonice, hanc *S. Patris* tui castitatem, ex ipsius sententia. (i) Omnibus quidem, sed maximè Ministris Altaris Christi necessariam, quorum vita debet esse eruditio, & assidua salutis prædicatio. Apprehende, ex consilio ejusdem *S. Doctõris* tui (k) contra libidinis impetum fugam, si vis obtinere victoriam. Nec tibi verecundum sit fugere, si castitatis palmam desideras obtinere. Unde ab omnibus Christianis, præcipuè tamen Clericis seu Monachis, indigna & inhonesta familiaritas fugienda est, quia sine ulla dubitatione, qui familia-

ri-



ritatem non vult vitare suspectam, citò dilabatur in ruinam. Hanc doctrinam Patris sui sedulo imitati fuerunt Alanus de Solminihac & Petrus Forerius nostri, quorum hic adhuc Curionem agens in edes suas nullam foeminam, ne consanguineam quidem imò nec matrem ipsam recipere voluit. Mulieri nulli unquam loquebatur, nisi quopiam è nostris comitatus, quod si solus aliquam adire cogeretur, nonnisi ad duos vel tres passus eidem appropinquabat, versaque in aliam partem facie, aurem praebebat. Atque licet is Congregationem sanctimonialium Domina nostra instituerit, nunquam tamen cum iisdem agebat clathris apertis, quod si easdem apertas reperisset, aufugiebat inde, vel in angulo se occultabat, nunquam proditurus, nisi omnibus diligenter obseptis. Semel impudicam quandam foeminam castitati sua insidiantem, atque jam ades Parochiales ipsúmque Petri conclave penetrare cupientem, arrepto baculo, ut lupam, fugavit, pueros etiam hortatus, ut eam, non indicatâ tamen justæ punitionis causâ, porrò insequerentur. (1) In Alani palatium, quamdiu Episcopalem tenuit, vel in ipsius arcem Mercuesium nulla foeminarum pedem intulit, quòd si necessarium foret cum iisdem colloqui, fiebat id in Ecclesia Cadurci, vel supra terreum aggerem, si Mercuesii moraretur. Parisiis aut alibi constitutus, noluit in ulla domo divertere nisi sub ea conditione, ne vel sub  
suum

suum vel domesticorum suorum conspectum ullo prorsus femina veniret, à quibus etiam nullum servitium sibi fieri admisit. Nunquam etiam à conversione sua solus cum femina, quarum, no quatuor quidem in sua Diœcesi ex facie noverat, fuit locutus, arbitrum semper adhibens quempiam è suis Religiosis. Unde morti proximus ingenuè Confessario suo R. P. Lamic Priori Cancellatensi fassus est, se à Deo castitate ac virginitate donatum fuisse. (m)

## PUNCTUM III.

**E**Xpende: Obedientiam S. Augustini, quam verbis more suo efficacibus passim commendat, maximè integro illo libro, quem de humilitate & obedientia conscripsit: Credibile autem haud est, ipsum aliquid aliis persuadere voluisse, quod ipse agere noluerit. Et, si ex mente magni Doctoris nostri (n) Obedientia illa est, qua præceptis obtemperat, obediens certè fuit Augustinus, cum mandatis Valerii Episcopi, varia ei concionum, disputationum cum hæreticis, aliarumque functionum munia injungentis, morem gessit, atque juxta Regulas, quas Clericis suis tam in primo quàm secundo Monasterio servandas præscripsit, mores suos composuit. Obediens etiam fuit decretis Conciliorum œcumenicorum & Provincialium, quod inde patuit, dum à se denominatum in Episcopali munere successorem Eradium, se vivente, Epi-

Episcopum contra leges Concilii Nicæni con-  
crari noluit. Atque licet virtutum studiosissi-  
mus fuerit *Augustinus*, obedientiam tamen plus  
quam omnes virtutes valere (o) asserere ausus  
est: Eam animæ oppido proficuum esse docuit  
(p) his verbis: *Nihil ita expedit anima, quam  
obedire, & si expedit anima obedire in seruo, ut  
obediat Domino, in filio, ut obediat Patri, in  
uxore, ut obediat viro, quanto magis in homine,  
ut obediat Deo.* Hanc denique esse astruit, pro-  
pter quam accipiet homo præmium vitæ æter-  
næ. *Fac opus, inquit, (q) & accipe præmium.  
Quod est opus? Obedientia. Quod est præmium?  
Resurrectio sine morte.*

### Documenta.

**O** Religiose Canonice conare, ut & obedientia  
tua, voto firmata, perfecta, Deo grata ac  
meritoria sit, quod obtinebis, si erit 1. prompta  
in iis, quæ ad religionis exercitia, ad regularem  
disciplinam & mortificationem pertinent. 2. Si  
cæca ad rationes præcepti scrutandas. 3. Si hi-  
laris, nam serenitas in vultu, dulcedo in sermo-  
ne multum colorant obedientiam obsequentis, te-  
ste *Bernardo*. (r) Si fortis & constans in diffi-  
cilibus æquè ac facilibus exequendis. Verus obe-  
dientia cultor non expectat manifestum superio-  
ris imperium: sufficit ei imperantis votum aut  
nutus, aut minimum mentis indicium, cui quan-

tocius parere gestit. Mens enim iusti meditatur  
 obedientiam. (s) Imo cum B. Joanna de Cruce  
 campanulam & quodvis signum obedientia, Dei  
 esse vocem reputat. Guido Audubertus Mona-  
 sterii Cancellatensis sub Magistro Magno Alano  
 Abbate Religiosus Tyro, prater quod abnegata  
 propria voluntate nihil sciret, nisi obedire, om-  
 niaque juxta amussim sanctae Obedientiae facere,  
 mori nonnisi ex obedientia voluit, quare ad ma-  
 gistrum & Abbatem suum Alanum moribundus  
 conversus, jube, inquit, ut moriar, qui ubi id  
 se posse quidem permittere, non jubere, reposuis-  
 set, Deo jubente ergo, inquit, & te permittente  
 ego moriar, atque hac ratione genuinus ista obe-  
 dientiae filius vitam obediendo clausit. (r) Pa-  
 ri modo nonnisi jussa vitam finiit Anna Bueffmay-  
 rin Parthenonis Inzhoviani in Suevia Canonica  
 Regularis. Fatalem etenim horulam sibi adesse  
 sentiens Dominam Prepositam suam tunc presen-  
 tem in haec verba fuit allocuta: Defraudari no-  
 lo, & moriens obedientiae merito, e cujus virtu-  
 tis ductu vivens cuncta mea peragere studui:  
 imperium tuum duntaxat exspecto, quo obtento  
 animam pientissime exhalavit. (u)

- (a) Lib. 7 de Civ. cap. 4. (b) 22. q. 88 a. 4. ad 3.  
 (c) lib. 2. hist. Trip c 5. (d) in Instit. Can. Regul fol 5.  
 (e) lib. 2. cap 8. (f) Pennot lib 3. cap 51. n. 4 (g)  
 Ex horto sacro MS. P. Ioan Chryf. Hageri ejusdem loci  
 Can. Reg. Obiit Petrus Mittman 29. Augusti anno 1645.  
 (h) lib. 2, c. 19. (hh) ex vita per P. Claudium Molini-  
 811.

rum. Decessit Sanctesius 17. Octobris anno 1591. (i) Sermon. 249. de Temp. (k) Sermon. 250 cap. I. (l) ex vita. (m) ex vita (n) lib. de bon. conjug cap. 23. (o) Tract. 2. de hum. & obed. cap. 9. (p) in Psal. 70. Conc. 2 (q) de Symb. lib. 1. cap. 3. (r) Sermon. ad FF. de monte Dei. (s) c. 15. Prov. (t) Anno 1639. ex lib. I. c. 15. vita Alani. (u) ex documentis transmissis.

*Encomium Obedientiae datum à Sancto  
Augustino.*

Apud R. P. Eligium Bassæum Capucinum  
in Floribus Theol. Mor. Tom. 2. verbo Obedientia n. 2 I.

**O**bedientia est, quæ concordiam conservat in Angelis, pacem nutrit in Monachis, tranquillitatem generat in civibus. Hæc est illa, sine qua respublica stare non potest, sine qua familia aliqua regi non potest: quàm enorme vitium, quod obedientiæ contrarium est, per hoc diabolus cælum perdidit, per hoc homo Paradisum amisit, per hoc Saul regnum, per hoc Salomon amorem divinum. O sancta Dei Sponsa Obedientia, tu perfecta scala, quâ in cælum ascenditur, tu quadriga, qua Elias vectus est in Paradisum, in porta Paradisi fidelium, & clausura reorum inferni. O sancta Obedientia! tu patientiam probas, tu mansuetudinem examinas &c.

EXER-

EXERCITIUM V.  
MEDITATIO V.*De ultimo morbo & morte S. Augustini.*Appropinquaverunt dies Mathatiae moriendi, & defunctus est. *Machab. 2. v. 49. & 70.*

## PUNCTUM I.

**E**Xperde. Augustinum senio, vigiliis, asperis in domando corpore exercitiis ac pluribus laboribus pro Ecclesia & proximi salute exantlatis; fessum, ut sibi intentius viveret, qui haecenus studiosè aliis vixerat, quadriennio ante mortem, quasi illius praescium, à negotiis externis abstinuisse, Eradium Presbyterum in Episcopali functione adiutorem adlegisse, libros à se conscriptos, quasi ad incudem revocasse, atque accuratiùs recognovisse, nec non in illo desiderato otio, totum se studio pietatis, velut ad mortem, *quod est magnum negotium*, diligentius se preparando, dedisse.

## Documenta.

**O** Religiose Canonice discce, qui nescis, quando, ubi, quomodo morieris, certa tamen morti à divina justitia destinate, esse sollicitus, providus, & semper suspensus ad nocturni furis, ad ignota hora appulsum, ne imparatum te mors repente opprimat. *Librum conscientia tua ma-*

turi

turè inspicere, actiones præterita vitæ examina: Semper tibi, ex doctrina S. Patris tui (a) ob oculos versetur ultimus dies, & cum diluculo surrexeris, ne ad vesperam confidas te pervenire, & cum in lecto membra deposueris, de lucis non confidas adventu, & sic facillimè poteris cor tuum à vitiis & concupiscentiis malis refrænare. Nihil etenim, eodem teste (b) sic homines à peccato, à tepore, à malè vivendi consuetudine revocat, quemadmodum mortis imminētis cogitatio. *Tibi dictum puta, quod olim S. Legislator tuus è superiore loco ad plures dixit:* (c) Diem mortis ante oculos semper ponite, & ad emendationem, quantum potestis, festinate, nolite negligere, quod vos pius Dominus peccantes sustinet, quia quantò diutiùs expectat, ut mores emendatis, tantò graviùs judicabit, si neglexeritis, si fortè putatis, quia finis mundi tardiùs veniat, vel suum unusquisque consideret finem. Ecce dum libenter ac jucundissimè moratur homo in mundo, multaque in longa tempora disponit agenda, repente rapitur in morte, improvisus auferitur à corpore: sed iste beatus est, qui semper illam ante oculos habuit, & sollicitus extitit, in illa mortis hora paratus inveniri. *R. D. Michael Fischer Præpositus & Archi-Diaconus Rottenbuechensis in Bavaria, ne memoriam mortis unquam eleponeret, locum ferali thalamo, cui nobiles cor-*

M

po-

poris sui exuvias, communi olim mortalium omnium fato crediturus erat, eum sibi ipse elegit, qui quotidiano sui aspectu, sortis illum suae commonefaceret. Sepulchrale insuper saxum, jam pridem ante confectum, in domestico sacello, velut continuum mortis monitorem oculis objecerat, cui praefer suum nomen, tres etiam priores saeculi, in quo vivebat, numeros volebat insculpi, ut ex incompleta numerorum serie certam sibi conjecturam faceret, complementum numeri à morte addendum, quae ipsi obtigit 27. Martii Anno 1663.

## PUNCTUM II.

**E**xpende. Wandalis ex Hispania in Africam irrumpentibus, atque sua saevitia nulli aetati, nulli sexui, nec ipsis Sacerdotibus parentibus, sed cladibus ac incendiis omnia devastantibus, tandem etiam Hipponensem Civitatem obsidione cingentibus, *Augustinum*, qui strenuè trium mensium spatio, & Ducis & Episcopi munere functus fuerat, quâ civis fortiter ad resistendum hosti hortando, quâ cælum alterius Moysis instar pro solutione obsidionis precibus fatigando, jam frequentibus aliàs corporis infirmitatibus obnoxium, in gravem tandem morbum incidisse, qui fatalis ipsi, sed diu optatus erat, eoque durante decem illis diebus, mortem ejus antecedentibus, ne fortè assidua ejus de rebus cœlestibus ac fervens oratio præpediretur, vetuisse, ne extra illam horam, quâ eum Me-

dici



dici accedere solebant, quispiam ipsum conveniret.

### Documenta.

**O** Religiose Canonice, ut & tu mortem potius optes, quam timeas, oportet te ita vivere, ac si post horam unam esset emigrandum. Decus prius desinere, quam desinas, finem facere, quam accipias: mori quam moriaris, sepeliri quam sepeliaris: hoc est, prius oportet desinere malè & tepidè vivere, quam desinas vivere. Laborat, verba sunt S. P. N. (e) Homo moriturus, ne moriatur, & non laborat, ne peccet homo in aeternum victurus: & cùm laborat, ne moriatur, sine causa laborat. Id enim agit, ut multùm mors differatur, non ut evadatur: si autem peccare nolit, non laborabit, & vivet in aeternum. Mortem certè non timuit, sed in votis potius habuit R. D. Valentinus Steurer Prapostitus Weyarensis in Bavaria die 3. Decemb. anno 1659. defunctus, qui sibi tumulum, in quo condiendum defuncti corpus, propriis manibus, erutà terrà opere lateritio in vivis adhuc extruxerat. (f)

### PUNCTUM III.

**E**xpende. Augustinum doctrinâ illâ, quàm alios docuerat, nempe neminem quantumvis justum sine congruo noxarum dolore oportere vitâ excedere, & ipsum usum fuisse, atque in adversa lectuli parte Psalmos illos, qui de pœ-

nitentia dicuntur, majoribus characteribus exaratos, appendi iussisse, quos identidem oculis non tantum intueretur, sed dolenti corde legeret, flendo relegeret, atque legendo continuos contritionis motus in se excitaret, ad beatam illam requiem aspirans, quo tanto jam tempore omnes suos conatus, studia ac labores praeferat.

### Documenta.

**O** Religiose Canonice, dum sanus viribus, mentisque compos adhuc es, de piis ac devotis exercitiis tibi prospice, quibus in ultimo morbo, fatalique lectulo pro anima tua solatio utaris, vel ut ab aliis tibi, viribus destituito, agonique proximo, hoc postremum charitatis obsequium exhibeatur: Nimis enim serò, ex mente S. Patris tui (g) parantur remedia, dum mortis imminet pericula. R. P. Petr. Forer. moriturus instabat, ut Patres sui alternatim Psalmum recitarent quinquagesimum, quod & ipse faciebat interpositis mille singultibus & suavissimis cum Deo colloquiis, cujus tribunali mox sistendus esset. Cum deventum fuit ad Stropham: Ne projicias me à facie tua &c. vita ex oculis fluere videbatur. Porro tu da operam, ut preces quasdam saepe ac quotidie pro felici mortis hora recitando tibi facias familiares.

PUN:

PUNCTUM IV.

**E**Xpende. Tandem placidissimam mortem *Augustini*, quam membris omnibus sui corporis incolumis, integro aspectu, astantibus suis Clericis, quos ad vitæ sanctimoniam hortabatur, oppetiit, percepto priùs SS. Dominici Corporis Viatico, quod in hæc verba, dum ejus cubiculo inferretur, allocutus esse dicitur: Ave principium nostræ creationis & reparationis: Ave sacrificium nostræ reconciliationis: Ave artritodum nostræ curationis: Ave Viaticum nostræ peregrinationis: Ave solatium nostri laboris: Ave refugium nostræ tribulationis: Ave præmium nostræ expectationis (h) Testamento auri argentique vel alterius rei. caducæ reliquit nihil, omnia jam pridem, dum valeret in pios usus expendens. Ejus tamen loco legavit à se conditorum librorum thesaurum incomparabilem, animarum salutem perutilem, ac Ecclesiæ Dei prorsus necessarium.

Documenta.

**O** Religiose Canonice, ceteras inter piè ac sanctè moriendi curas hand postrema tibi sit, sacratissimi Corporis ac Sanguinis Christi, in quo salutem nostram positam voluit S. P. N. (i) eo in articulo perceptio. Optimum est die Jovis sive quinta quavis feria, vel in ipsa communionem, si communices, aut Sacrificio Missæ, si Sacerdos

ad aram lites, vel ad aspectum SS. Eucharistia petere gratiam viatici sancte sumendi. Christus certe Sacramentum istud ultimâ vita sua hebdomadâ die Jovis instituit. Quintâ ergo quævis feriâ de ultima vita tua feriâ, & Eucharistica illius feriæ annona esto sancte sollicitus, ne moriaris jejurus. Cibis ille incomparabilis, ineffabilis, viaticam tibi erit saluberrimum, redemptionis tuæ pretium & munimentum, & redempti munimentum. (k) Id, cum cubiculo, in quo R. P. Petr. Forer. ad mortem decumbebat, inferretur, ad primum illius conspectum in hac submissionis plena verba prorupit: Domine non sum dignus, ut ad me venias, ejiciendus potius essem in sterquilinum, ibidem à canibus & corvis invisendus, quàm ut tuâ me præsentia digneris. Sumptâ verò Eucharistiâ subdidit: Et quid unquam in tantarum gratiarum vicem rependere possum? num ut obsequar tibi, oportet, ut hunc mortis calicem æquo excipiam animo? excipiam omninò Deus meus, excipiam hunc æquissimo animo, propensissimâque voluntate, dummodò cum tua gratia id fiat. Benedicite omnia opera Domini Domino, propter maximum beneficium, quo me primùm affecit, & quod linguæ meæ deficit, supplete. 1) R. D. Michael Fischer Religiosissimi Rottenbuechenensis in Bavaria Collegii & ipse Religiosissimus Antistes, morti proximus, perceptoque non in lecto, sed de  
 genu

genu in Sacello domestico S. Josephi, ad quod se deportari voluit, maxima devotione, nec sine lacrymis, sacro Viatico, Canonicis suis Religiosis ad se accitis ultimum vale, porrecta unicuique manu, dicens, eosdem in hac verba allocutus est: Manete charissimi in vinculo pacis, in unitate spiritûs & fraterna charitate.

(a) Lib. de salut. doct. c. 39. (b) lib. 2 de Genes. contra Manich. c. 8. (c) Serm 13. (d) ex concione funebri per P. Damianum Brigant. Capuc. (e) Tract. 49. in Ioan. (f) ex litteris mortualibus. (g) lib. de discipl. Christ. (h) P. Corduba lib. de iuvand. morib. part. 1. c. 6. (i) in Psal. 33. (k) lib. 2. de iuvand. morib. c. 2. (l) vita l. 1. c. 24. (m) ex Concione funebri.

## EXERCITIUM VI. MEDITATIO VI.

*De Corde S. Augustini.*

Cor sapientis in dextera ejus. *Eccles. 10. cap.*

**EX** primis Dei amatoribus *Augustinum* esse, Cor, amantium symbolum, quod sapientissimi hujus Doctoris manus appingunt pictores, probatque Ecclesia, elingue licet illud sit, clare eloquitur. Id verò, cur ad *cælum porrectum*, cur *accensum*, cur *sagittis transfixum*? devotioni tuæ ô *Religiose Canonice*, quæ ingenua est, expendendum relinquitur. Itaque

## PUNCTUM I.

**E**Xpende. *Augustinum*, Cor, in medio corporis aliàs constitutum, extra illud ad cælum elevatum tenere. 1. Ut insinuaret, cordi suo minùs sufficere locum à natura ei præfixum, sed angustix illius ac omnis motæ, ob amoris intensiorem, impatiens, foras erumpere, atque illuc ferri, quo thesaurus ejus *desiderabilis & incomparabilis* (a) Deus scilicet *verum aternorum collium desiderium*, esset. *Tibi, dixit, suspirat* (b) *cor meum, quasi vultum tuum, vultum tuum Domine requiram.* Et (c) *fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Ardor enim charitatis, ipsomet teste* (d) *sursum rapit, in cælum levat.* 2. Ut indicaret se cum Doctore gentium, (e) quæ rursus sunt quærere, quæ rursus sunt lapere, non quæ super terram. *Sursum*, clamat (f) *cor, sursum cogitationem, sursum amorem, sursum spem, ne putrescat in terra. Charitate* (g) *sursum habitemus, charitate illa, qua diligimus Deum. Creatus enim est homo erecta in cælum corporis forma, admonens eum, que sursum sunt sapere.* (h) 3. Ut cor suum ad altare Domino Deo consecraret, juxta doctrinam à se traditam. (i) *Cùm illud [cor] ad Deum sursum est, ejus altare cor nostrum est.* 4. Ut Deo postulanti cor suum, illud ceu munus ditissimum ac flagrantissimum thymiana offerret, Deo

Deo siquidem suavissimum adolemus incensum, cum in eius conspectu pio sanctoque amore flagramus. (k) 5. Ut terrena despiciere, alumnos suos ceterosque homines doceret. Pone; inquit, (l) in terra terrena, sursum cor! Qui enim vult cor sursum habere, ibi ponat, quod amat, & in terra positus carne, cum Christo habitet corde (m) & in alio loco (n) Corpore quidem ambulamus in terra, corde tamen habitamus in cælo: habitamus ibi, si illuc aliquid mitimus, quod ibi nos teneat: nemo enim inhabitat corde, nisi unde cogitat, inde autem cogitat, ubi thesaurizat. 6. Denique, ut iter ad felicitem æternitatem adipiscendam monstraret. Nemo enim, ex sententia ipsius (o) ad beatitudinem pervenit, nisi huic saculo moriatur, non morte omnium, qua corpus ab anima deseritur, sed morte Electorum, qua etiam cum in carne mortali adhuc manetur, cor sursum ponitur.

### Documenta.

**O** Religiose Canonice, sequere exemplum Sancti Patris tui. Leva cor tuum in cælum, ne putrescat in terra, affige illud cælo. Vis scire modum? Deum diligendo. Machina enim cordis, inquit Magnus Gregorius (p) est vis amoris, quæ, dum cor à mundo extrahit, in alta sustullit; Sursum quoque cor habeas ex dictami-

M 5 ne

ne Regula tua cap. 1. & terrena ac vana non  
queras. Hinc sapiens anhelat:

Jesu, qui teneris stringis pia corda catenis,  
Fac inea cœlestis viscera stringat amor,

## PUNCTUM II.

**E**Xpende. Cor Augustini inflammatum, non  
alia sane, quàm divini amoris flamma, quæ  
cor illius ita corripuit, ut vim illius neutiquam  
cohibere valens, foras eruperit: Nihil enim  
tam durum atque ferreum, quod non amoris igne  
vincatur. (q) Nonnullas hujus amore divino  
succensi pectoris, flammulas inspicere, & calore  
illarum exardescere. Totum cor meum flammæ  
amoris accendat, nihil in me relinquat mihi, nec  
quod respiciam ad me ipsum, sed totus in ea, tan-  
quam inflammatum abs te. (r) Deus meus amo-  
re magno, magisque amare recupio. (r) Da mi-  
hi ut amem te semper quantum volo, quantum  
debeo, ut tu solus sis tota intentio mea. Fac ut  
sicut flamma urens totus ardeam in tui amoris  
dulcedine, & quem aqua multa in me nunquam  
possint extinguere. (s) Deus meus accende me  
igne tuo, amore tui, ut totus dulcedine amoris  
tui plenus, totus flammâ charitatis tuæ succen-  
sus, diligam te ex toto corde meo. (t) Converti  
meum torporem in ferventissimum tui amorem,  
accende in me tuum amorem. (u) Scis occulto-  
rum cognitor, quoniam non solum terra, sed om-  
nibus, quæ in ea sunt, tu mihi charior es: sed  
etiam



etiam ipso cælo, & omnibus, qua in eo sunt, tu mihi acceptabilior es: Diligo enim te super cælum & terram, (w) Domine, si omnia mei corporis ossa forent lampades aurea, & sanguis omnis, qui per corpus est diffusus, in pretiosum balsamum verteretur, eum in tui honorem sincerem conflagrare. Si vena mea omnes nervique vincula forent aurea, inseparabiliter te cordi meo alligarem. (x) Tandem Seraphicus amor Augustini in Deum ita sublimis fuit, ut neququam dicere dubitaret: Si Deus esset Augustinus, Augustinus verò Deus, perlibenter se divinitati renuntiaturum, ut ipse Deus foret. (z) Atque si vera est Catonis Senioris sententia: Amantis animam in alieno corpore vivere. Augustini amantis animus in Christo semper vixit, ibique magis fuit, ubi amabat, quàm, ubi animabat, parvique pendebat omnes labores, omnes injurias, omnesque hæreticorum persecutiones. Unde dicebat: (aa) Nullo modo esse onerosos labores amantium, sed ipsos delectare, sicut venantium, piscantium, vindemiantium, negotiantium. Interest enim, quid ametur; nam in eo, quod amatur, aut non laboratur, aut & labor amatur. Verbo, totus amor & cor fuit Augustinus, ut meritò ipsum quædam Africa civitates ob eximium ejus in Deum amorem cor sanctum cognominârunt. (bb) Nec contentus Augustinus, quod in terris existens Deum ardentissimo com-

complexus fuerit amore, in cælo nunc positus id agit, ut eodem Viatores Creatorem tuum prosequantur ardore, unde pro cordibus illorum omnium visus tuit orare, qui per ipsius merita divinum amorem obtinere desiderant, (bb)

Documenta.

**O** Religiose Canonice, ô si cor tuum non alieno igne iracundia, vindicta, invidia, ambitionis, concupiscentie carnalis, sed amoris divini succenderetur, succensum Deo in odorem suavitatis concremaretur! quam felix fores ita mori, & Phœnicis instar renasci non mundo, sed cælo! Roga Seraphicum Patrem tuum, ut cordi tuo hunc amorem, si non integrum, nonnullas saltem illius scintillas ab eo in cælis impetret, quem in terris tam ardentem dilexit. Sapiens ingemina:

Ure Deus mihi corda, volo cinis esse; sed esto Urens, æternum ferveat igne cinis!

PUNCTUM III.

**E**xpende. Cor Augustini sagittâ, non quidem ex ferro, calybe aut alia materia confecta, sed divini amoris spiculo transfixum, indicare cum flagrans ejus desiderium amoris Dei, tum efficaciam ac virtutem in corde ipsius. *Confige, suspirat [dd] cor meum jaculo tui amoris, ut dicat tibi anima mea, charitate tua vulnerata sum, ita ut ex ipso vulnere amoris tui uberrime fluant lachrymæ.* Et alio in loco [ee] *sancia Domine inte-*

interioris hominis mei arcana tui amoris jaculo,  
 & tepentis jecoris medullas sagittis salutaribus  
 penetrando succende, atque amore tuo intima men-  
 tis & corporis universa depasce. Ut verò omne  
 obstaculum huic amori amoveret, nudemus, in-  
 quit [ff] *membra nostra huic vulneri, nudemus*  
*sagitta electa, qua Christus est, bonum est hoc vul-*  
*nerari sagitta.* Imò hoc desiderio suo potitum  
 se esse fatetur, [gg] *Sagittaveras cor nostrum*  
*charitate tua, & gestabamus verba tua trans-*  
*fixa visceribus.* Sagittæ hæ in corde *Augusti-*  
*ni* fuerunt eloquia Dei, quæ ille [hh] *sagittis*  
 comparat: Ait enim [ii] *cùm transfixa fuerint*  
*corda sagittis verbi Dei, amor excitatur, & l. 10.*  
*conf. c. 6. Percussisti cor meum verbo tuo, &*  
*amavi te.* Ita nimirum eodem teste expertissi-  
 mo: [kk] *Novit Dominus sagittare ad amorem,*  
*& nemo pulchrius sagittabat ad amorem, quàm*  
*qui verè verbo sagittat: imò sagittat cor aman-*  
*tis, ut adjuvet amantem, sagittat, ut faciat*  
*amantem.* Proinde meritò *S. Augustinus* cum  
 dilecta *Sponsa Cant. 2.* dicere potest, *amore vul-*  
*neratus sum, vel ut Pfellus apud Theodoretum*  
 [ll] *legit: Sagittâ amoris tui confixus sum.* Cha-  
 ritas enim habet sagittas suas, habet & vulne-  
 ra sua. O *felix Cor Augustini,* hoc divini amo-  
 ris spiculo sauciatum, quod vulnus quidem in-  
 fligit, sed non affligit, vitam non adimit, sed  
 ne-

190 Pars II. Alim. Piet. Augustiniana  
necem pellit, sagitta enim Domini sagitta salu-  
tis. [mm]

### Documenta.

**O** Religiose Canonice, Cor tuum, membra tua  
ardentibus sagittis Christi pande, ut iisdem  
vulneratus ardeas amore Dei, salubre enim ac  
decorum est, vulnus a charitate accipere, quod  
ex mente S. Patris tui [nn] ad veram salutem rap-  
pit, & qui hoc vulnere non fuerit vulneratus,  
ad veram sanitatem non poteris pervenire, Se-  
piùs suspira :

His moriar telis, his me confige sagittis!  
Non potero fato nobiliore mori,

### PUNCTUM VI.

**E**xpende. Miranda illa, quæ de corde S. Au-  
gustini ab Authoribus fide dignis [oo] refe-  
runtur. 1. Quod illud crystallo inclusum ad  
Hymnum Ambrosianum *Te Deum laudamus*,  
ad verba *Sanctus, Sanctus, Sanctus* à Clericis  
decantata, tripudiantis in modum movere se  
cœperit, & quasi os ad laudem Dei aperuerit,  
tanquam diceret: O sancta Trinitas, te dictan-  
do, prædicando, scribendo, canendo laudarem,  
si in corpore meo viverem. 2. Quòd singulis  
annis in festo SS. Trinitatis cùm Missa canitur,  
atque cor super Altare ponitur, mox omnibus  
inuentibus illud piscis instar in aqua se movere  
inceperit. 3. Quoties SS. Trinitas coram eo

no.

nominabatur, vel liber de eodem ineffabili mysterio ab ipso conscriptus expandebatur, Cor ipsum, ceu haberet actus vitales, imò quasi intellectuales, exultárit. 4. Quòd in Ecclesiam, ubi cor S. Augustini asservabatur, nunquam ingressus fuerit hæreticus, vel enim intus moriebatur, vel in limine cadebat. [pp] 5. Quòd mortis olim fuerit, cordi S. Augustini corda è ferro confata religiosè admovere, atque domum velut reliquias inter sacra referri. [qq] O quis nunc de corde Augustini cum Oratore Constantino-politano S. Chryostomo non exclamet, quod is olim de corde B. Pauli! [rr] *cor Augustini, cor totius orbis, elementum nostræ salutis: cor accensum & ignitum, cælo sublimius, orbe latius, radiis solaribus exhilaratiùs, igne ferventiùs, adamante solidiùs: Cor quod novam vitam, non hanc nostram vixit! Cor Christi erat Augustini, tabulæque Spiritus Sancti, atque charitatis vovolumen.*

### Documenta.

**O** Religiole Canonice, ô si & cor tuum ad SS. Triados nominis pronuntiationem, non dicam exultaret, sed ad teneram saltem devotionem permoveretur. O si in Ecclesia dum in sacro Odeo Trisagion illud Sanctus, Sanctus, Sanctus decantatas, totus erga tantum mysterium dulcedine disflueres! aut si singulos divini officii Psalmos

mos sancto illo Epiphonemate Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto coronas, cor tuum nova quadam ad Deum elevatione & SS. Trinitatis adoratione Alani de Solminibac nostri exemplo instaurares! O si dum ad aram sacer Mysta, incruentam Deo hostiam offerendo, varias ex prescripto Ecclesie preces, quae memoriam SS. Trinitatis inculcant, imbibens, eam dein operibus & actionibus tuis exprimeres. Admove etiam Cordi Seraphici Patris tui, seu Magneti, ferreum cor tuum, ut ab illo traharis ad vere exultandum in gloria SS. Trinitatis, eamque unice sancteque colendam, hinc crebrius exopta:

O mea si solido durentur pectora ferro,

Unus ut illa trahat Magnes amoris amor!

Tandem qui sub signis magni Ducis Augustini pugnas, ad imitationem Gallicanae nostrae Congregationis Religiosissimorum Canonicorum Regularium Tessera seu symbolum tibi sit scutum, & in scuto depicta, è nube praeeminens manus, tenens cor inflammatum, sagittaque transfixum, cum hoc ex Regula nostra sacro acroamate

**SUPEREMINEAT CHARITAS.**

### Suspirium,

O *Augustine* Caeli lumen, quo Ecclesia illustratur, Haereticorum malleus, in laboribus Apostolicis infatigabilis, Columna veritatis, sol eruditorum, & cui in pietate nullus com-

pa.

parari potest, te veneror omnibus iis encomiis & sententiis aliis, quibus Patres te ornant; Verùm nihil ita extollo, quàm amorem cordis tui, quàm cor tuum inflammatum & jacula sacrae dilectionis, quibus illud perfostrum est. Animus exilit præ lætitia, quod cor tuum cordium aliorum sit archetypon & cor inæstimabile. Velim ego potiùs esse sine corde, quàm habere cor, quod non sit amore divino faucium, & *Augustini cordi simillimum!*

En Cor meum tibi offero, quod tu mancipii locò acceptabis: tuum enim est, quantumcunque est, & ideo *Cor Augustini* appello, cupiòque meam donationem esse irrevocabilem, ac penitùs confido, tibi placituram. Et cur id non agam, cùm hoc ipsum à me exigere vidcaris, *Fili mi, prabe mihi cor tuum?*

(a) Lib. I. Medit. cap. 37. (b) lib. I. Confess. cap. I.  
 (c) *ibidem.* (d) Serm. 87 de divers. (e) Coloss. 3. (f)  
 in Psal. 90. conc. 2. (g) Tract. 32. in Ioan. (h) de Civit.  
 Dei lib. 22. cap. 24. (i) *ibid.* l. 4. c. 10. (k) *ibid.* l. 21.  
 c. 16. (l) Tract. 18. in Ioan. (m) Serm. 43. de divers.  
 (n) Psal. 48. conc. 2. (o) Tract. 65. in Ioan. (p) lib. 6.  
 Mor. c. 17. (q) de mor. Eccl. c. 22. (r) in Psal. 137. (s)  
*ibidem.* (t) *ibid.* (u) lib. Med. c. 41. (vv) Med. c. 35.  
 (x) apud Ioan. Ludovic. Schönleben conc. 2. de S. August.  
 (z) A.A. passim. (aa) lib. de Vid. bono. cap. 21. (bb)  
 Lancil. in vit. S. Aug. (cc) Nadasus in diurno div. amor.  
 c. 26. (dd) Med. c. 37. (ee) Med. cap. 9. (ff) in Ps. 118.  
 (gg) lib. 9. Confess. cap. 3. (hh) in Psal. 76. (ii) in Ps.  
 119. (kk) *ibidem.* (ll) in Cantica. (mm) 4. Reg. c. 13.

(nn) in *Psal.* 37. (oo) apud *Ioan. Ferrand.* S. I. de *Reliq.* lib. I. cap. I. & lib. 2. cap. 2. pag. 419. (pp) *Hieron.* Rom. in *Annal.* Aug. centur. 6. ad ann. 51. (qq) *Lancel.* in *vita S. Aug.* lib. 3. cap. 43. (rr) *S. Chrysoft.* de corde *S. Pauli* apud *Nadas.* in ann. coelest. die 25. Ian.

## CULTUS II.

S. MONICÆ DICATUS.

EXERCITIUM I.

MEDITATIO I.

*De Vita Sanctæ Monicæ in paterna domo  
traducta.*

Virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta,  
ad *Corinth.* 7. cap.

PUNCTUM I.

**E**xpende. *Monicam* Christianis æquè ac opulentis ortam in Africa parentibus, educatam dein à prima ætate in omni pietate, diligentiam potissimum cujusdam decrepitæ famulæ, quæ Patrem ejus infantem portaverat, sicut *grandiusscule* subinde puella parvulos sinu suo fovere solent, (a) Devotioni verò ex instructione Matris *Facundie*, ita addictam, ut non de die tantum templum frequentaret, sed nocte etiam surgens, orationi vacatura illud adiret, cui precatorio exercitio, ut commodius incumberet, angulum aliquod in Ecclesia sibi elegit, juxta

Cott.



Consilium Christi suadentis. (b) *Tu cum oraderis, ora Patrem tuum in abscondito.* Hanc orandi consuetudinem retinebat reliquis vitæ suæ diebus, Mediolani præsertim, ubi pia plebe in Ecclesia excubante, ipsa solitudinis & vigiliarum primas partes tenens, orationibus vacabat, (c) quam ob causam ipsam S. Ambrosius Mediolanensium Antistes diligebat, atque sæpè, cum *Augustinum* videret, in laudes ac prædicationem *Monica* prorumpebat.

## Documenta.

**I**mitare, ô Religiose Canonice, *sanctissimam Aviam tuam, atque juxta præscriptum Regula Fili ipsius, Patris tui, jubentis* (c) orationi instare horis & temporibus constitutis, in precibus ac oratione tam vocali, quam mentali, quæ ex ejusdem Legislatoris tui mente (f) antidotum omnium malorum, & clavis in cælum est, si non assiduus, frequens saltem esto, atque quò crebriores sunt orationes tua, tantò juxta eandem *Regulam* (g) sint sanctiores, tantò ferventiores, tantò & ab omni distractione ac impertinenti cogitatione puriores. Talis fuit oratio P. Innocentii Keferloher Canonici & Decani Diesensis, quem sine omni mentis distractione & orasse, & in choro cantasse ejusdem loci Canonicorum constans est traditio. Alano nostro Cadurcensi Episcopo Oratio, mentalis præsertim (i) fuit *Paradi*

radix inchoatus, via praestantissima in virtute proficiendi: Necessitas verò tanta, quanta ad vitam spiratio. Quare sapius hac notatu dignissima verba proferebat, Presbyterum, addo ego Religiosum, difficulter absque oratione salvari posse. Ad hac grave tibi non sit, media nocte derelicto tantisper ad horam, molli lectulo, cum Regio Psalte, aliisque tot millenis Religiosis Viris, feminisque surgere ad matutinum horarum pensum devotè persolvendum: ne illud tibi occinatur. (k) Non potuisti una hora vigilare mecum? P. Guilielmus Vornken noster in more positum habuit, ceteris Canonicis à sacro Odae recedentibus, ibidem persistere, atque orationi mentali vacare. Quod nostra hac etate plures ex Ordine nostro Viri pientissimi faciunt, quorum nomina prodere nolo, cum id virtus eorum prohibeat.

## PUNCTUM II.

**E**Xpende. Monicam in paternis aëdibus sub nutritricis curâ adhuc constitutam jam gulam mortificare doctam, atque præter eas horas, quibus ad mensam Parentum moderatissimèalebatur, etiamsi exardescerat siti, nec aquam bibere permissam fuisse. Unde illud boni, ipsomet Filio suo Augustino (l) scribente, consecuta fuit, ut aviditatem tenerioris ætatis frænârit, & ipsam puellarem sitim formârit ad honestum modum, jamque nec liberet, quod non deceret.

Do-

## Documenta.

**D**isce, ô Religioſe Canonice, à puella id, cuius te admonet caput ſecundum Regula tua: Extra horam prandij nemo alimentorum aliquid ſumat, niſi cùm ægotat. *R. P. Petrus Forerius noſter inflexibilis erat in decreto, nunquam extra refectionem & triclinium quidquid ſumendi. Carnem quoque tuam, ex ejuſdem Regula tue juffu, jejuniis & abſtinentia elcæ & potus, quantum valetudo permittit, edoma. Abſtinentia quippe, ex Auguſtini ſententia (m) Vigiliæ, orationes, atque jejunium poſt breviffimas anguſtias perducunt ad Paradifi delicias. Prima tamen cura tua ſit à vitiis jejunare. Nihil enim prodeſt, eodem ſancto Doctore aſſerente (n) abſtinere à cibis, & ſaturari peccatis: caſtigare corpus inedia, mentem exercere nequitia: Vinum fortè non bibere, & ebrium cogitatione malignitatis incedere: Niſi quod favorabilior eſt cauſa ſaturi ſive temulenti, quàm iniqui pariter & jejuni: ille enim peccare aliquando deſinit, quia ebrius aliquando obdormit: hic autem errare non ceſſat, qui exercitatus malo jejuniis ſemper invigilat.*

## PUNCTUM III.

**E**xpende. Creviſſe, & de utero matris quaſi egreſſas cum *Monica* miſericordiam in pauperes, ac in egenos liberalem manum, quæ ut

illorum inopia pro modulo suo, adhuc sub parentum imperio posita, subveniret, ex illis, quae sibi in mensa apponebantur, quaedam pia fraude subtrahit, distribuenda dein pauperibus ac fame pressis. Verè cum Jobo (o) dicere potuit: *Si comedi buccellam meam sola, & non comedit ex ea pupillus?* Deliciae porrò ipsius erant nosocomia adire, leprâ ac aliis gravibus morbis infectos consolari, cibos quoque à se allatos benefica manu iisdem porrigere.

### Documenta.

**O** Religiose Canonice, licet tibi, cui omne dominium in quasvis res denegatum est, non competat sive parvas sive largas eleemosynas pecuniarias pauperibus distribuere, licitum tamen tibi est elargiri eleemosynam cordis, juxta mentem S. Patris tui asserentis, (p) non solum qui dat esurienti cibum, sitienti potum, verum etiam, qui dat veniam in se peccanti, eleemosynam dare, quam ipse vocat cordis (q) Integrum quoque tibi est, gulam tuam defraudare, atque eidem de esca & potu subinde aliquid subtrahere, impertiendum spiritualis eleemosyna loco, omnium pauperrimis, manibus puta piaculorum, in expiatoriis flammis detentis, atque operam tuam, ut illorum sitis ac fames, quibus acerrime eruciantur, extingatur, implorantibus, maxime autem pro illis, quorum piis foundationibus ac

*largitionibus sustentaris. Jejuniis enim atque aliis bonis operibus, nec non mortificationibus, ipso- rum bono susceptis, eos juvari constans est SS. Patrum ac Doctorum sententia. Duos ex Ordine Can. Regularium auscultat, unum S. Ivonem Carnotensem Episcopum: Animæ defunctorum, inquit is, (r) quatuor modis solvuntur, aut oblationibus Sacerdotum, aut precibus Sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut jejunio amicorum. Alterum Vener. Thomam Kempensem scribentem (s) Nunquam corporalem cibum sumas, nisi prius fidelibus defunctis aliquam spiritua- lem eleemosynam mittas. Tertium genus eleemosynæ tibi suggerit S. Legislator tuus, quod ipse vocat præclarum & præcipuum, Bonam scilicet voluntatem. Sit in te, inquit, (ll) bona vo- luntas: omnes homines sicut teipsum diligas: pro omnibus ora, hoc illis desidera, quod tibi velis. Et clamatur ab Angelis: Pax in terra hominibus bonæ voluntatis: Et quia bona vo- luntas est ipsa charitas: Tu verò Religiose Præ- late, cui administratio bonorum ac reddituum Monasterii tui commissa est, Eleemosynam pau- peris ne defraudes (t) pecunias vel tenaciter ac otiosè conservando, vel quod pejus est, in luxum aliasque vanitates ceu pretiosorem vestitum ac suppellectilem, inutiles structuras, splendidiora cubiculorum ornamenta, & similia necessitati ac utilitati minus servientia impendendo. Non est*

est Episcopi, idem est de aliis Ecclesia Prelatis, ex sententia magni Augultini, servate aurum, & repellere à se mendicantis manum. Siquidem compauperes pauperum, eodem S. Doctore scribente, sunt Episcopi (etiam Prelati & Superiores Religiosi) unde bona illorum sunt etiam pauperum. (u) Certè via cœli est pauper (w) per quam venit ad Patrem: Incipe ergò ô Prelate, erogare, si non vis errare: Securissima hac via incessit noster Carolus Sanctlesus Ebroicensis in Gallia Episcopus, & ipse pauperum amantiſſimus, atque in eodem oppido liberalis. Hic tribus per hebdomadem diebus, qui aliqua necessitate premerentur, eleemosynam dari curavit, nullo excluso: semel verò in anno in arce sua Episcopali Condaa generalem distributionem fieri precepit, ubi subinde ad duo hominum convenère millia, quibus panni, ut se vestire possent, dati fuerunt. Anno prioris seculi septimo & octogesimo, cum magna fames Galliam premeret, Mercatores quidam, Carolum, cui horrea frumento referta esse noverant, accesserunt, scaphas nonnullas pro parata pecunia coempturi, quos ille altero die, & quidem prandii tempore redire iussit, tum illis atrium pauperibus repletum ostendens: Hos institores suos esse, ajebat, quibus frumentum suum etiam cum quaestu divenderet, si & ipsis placeret, idem exhibere pro pretio numerando, se omnino empturum. Durante hac annona  
cari-

caritate stipem suismet elargiebatur manibus: atque subinde plus quam quingentis hominibus, sique rogaretur, ut ab hoc charitatis officio desisteret, ne morbo quopiam ob foetidum odorem è corporibus fame & inopia penè enectis prodeuntem, afficeretur, ingenuè respondit, membra hæc Christi JESU, suique officii esse, ut ipse eisdem inserviret. Porro ut Pauperum inopia succurreret, sericas nunquam admisit vestes, nec ut Rochetta ac superpellicea ejus denticulatos haberent limbos, quin & astrictoriis quoque ligulis abstinnit, asserens, unum assem, quo ejusmodi ligula constaret, sufficientem esse, ut illo per unum diem pauper quispiam nutriatur, atque ad eò à morte præservetur; Unicam habebat tunicam, alteram in cista pro vermium ac tinearum pabulo reponere nolens, dum interea pauperes fame emorerentur. Paratos quotidie habebat cibos pro Presbyteris ac Religiosis advenis, qui hi deficiebant, eos in pauperes distribui curavit. Ad hæc Xenodochium in arce sua Condaa pro excipiendis peregrinis construxit, quorum infirmitates ac morbos propriis sumptibus curavit, Paratus etiam pro pauperum subsidio pedum suum pastorale oppignorare. (z)

## PUNCTUM IV.

**EX**pense. Puellaris ætatis in virtute inconstantiam. Licèt enim *Monica* ex nutricis formula instructione temperantiæ leges observare, easque neutiquam temerè transgredi edocta es-

set, attamen surreperat ei vinolentia. Quippe cum de more tanquam puella sobria juberetur à parentibus de cuppa vinum depromere, priusquam in lagunculam vinum infunderet, prioribus labris, non quidem ex temulenta ulla cupidine, sed juvenilis ætatis culpa forbebat modicum quid, cui quotidie alia modica addendo, in eam bibendi consuetudinem devenit, ut prope jam plenos mero calices inhianter hauriret, juxta illud Siracidis: (aa) *Qui spernit modica, paulatim decedit.* Verum ab ancilla domestica, cum qua ad cellam vinariam accedere solebat, ob hoc increpata, atque insultando *Meribibula* vocata, fœditatem suam agnovit, atque correxit. (bb)

### Documenta.

**D**isce, ô Religiose Canonice, *luculento Monicæ exemplo, qua minimis etiam excessibus ad magna vitia perveniatur.* Ecce enim, cui paulo ante nec libebat, quod non decebat, illa plenos mero calices jam avidè haurit. Nec mirum id tibi videatur, qui enim minima, ex mente S. Augustini (cc) contempnunt, majora non credunt, non curant. *Experto crede Bernardo scribenti ad Lotharium Imperatorem, (dd) verendum esse, ne minimorum neglectus sit impedimentum majorum. Ruina certè Religiosorum Reformatorum provenit, teste magno Ala-*



no nostro de Solminihac, (ee) ex negligentia corrigendi modicum aliquem defectum, nam indies insensibiliter prolabantur in grandiores, aut perfrequentem in eosdem minore cum scrupulo, donec tandem in insensibilitatem & obcæcationem incidant.

(a) Lib. 1. Confess. c. 8. & 13. (b) Matth. cap. 6. (c) lib. 9. Confess. cap. 7. (d) Lib. Confess. cap. (e) Reg. c. 2. (f) Serm. 182. de temp. (g) Reg. c. 8. (i) Vita lib. 3. c. 2. (k) Matth. c. 26. v. 40. (l) lib. 9. Confess. cap. 9. (m) Serm. 55. de Temp. (n) Serm. 13. ex ineditis. (o) c. 31. (p) Serm. 203. de Temp. (q) lib. 50. hom. 42. (r) p. 15. cap. 124 (s) in Ep. I. de cura mort. apud Meaza. (ss) Serm. 7. in com. Serm. [t] Eccles. cap. 4. [u] Epis. 50. [v] S. Aug. de verbis Domini serm. 25. cap. 3. [z] ex vita. [aa] cap. 19. [bb] lib. 9. Confess. cap. 8. [cc] Epis. 3. post init. [dd] Epist. 139. [ee] vit. l. I. c. 13.

## EXERCITIUM II. MEDITATIO II.

*Sancta Monica Idea Vitæ conjugalis.*

Scit omnis populus, mulierem te esse virtutis.

*Ruth. 2. cap.*

### PUNCTUM I.

**E**xpende. *Monicam* tametsi virtutis amore Virginitatem perpetuam servare maluisset, parentum tamen voluntati obsequendo, nec non divina providentia ita disponente ad statuendum

rare

rara virtutis exemplum, matrimonio locatam fuisse nobili viro, sed pagano, moribus agresti & iracundo. *Utraque enim castitas & conjugalis & virginalis habet apud Deum meritum; etsi virginalis major est, conjugalis minor, tamen utraque grata est Deo, quia donum est Dei.* (a)

Documenta.

**D**isce, ô Religiose Canonice, subinde etiam opus bonum, quod fortè animo conceptum, aut præ manibus habes, in obsequium obedientiæ relinquere, voluntatèque tuam Superioris tui voluntati submittere. Sciendum est, inquit D. Gregorius, quod nunquam per obedientiam malum fieri, aliquando autem debet per obedientiam bonum, quod agitur, intermitteri. *Digna scitu est sententia D. Augustini* (b) *Voluntas propria grandi ruinæ pondere super hominem cadit, si eam voluntati Superioris extollendo præponat. Nunquam etiam sic esto alicui pietati addictus, ut id, quod officii tui est, negligas, Obedientia melior est, quam viciime ac spontanea pietatis obsequia.*

PUNCTUM II.

**E**xpende. Monicam vinculo matrimoniali constrictam, partes illas, quas gentium Doctor in suis Epistolis, maximè autem ad Titum & Timotheum charissimos discipulos scriptis, in uxoribus requirit, oppidò adimpletè, viva piarum

rum ac Deo timentium Conjugum *Idea*. Exigit verò D. Paulus in Epistola ad Titum (c) 1. ut subditæ sint viris suis, nam *ubi recta est domus, caput mulieris vir*, inquit S. P. N. (d) sequatur illa caput suum. Hoc nisi fiat, eodem teste (e) nihil pejus domo, ubi *fœmina habet imperium super virum*. Quàm subjecta autem *Monica* viro suo Patritio fuerit, ex *Augustino* discite, (f) *Tradita viro, servivit veluti Domino, & fategit eum lucrari tibi, loquens te illi moribus suis, quibus eam pulchram faciebas, & reverenter amabilem atque mirabilem viro*. Ita autem toleravit cubilis injurias, ut nullam de hac re cum marito haberet unquam simultatem. 2. Ut sint prudentes. *Prudentia*, quæ ex doctrina S. Doctoris nostri, est donum Dei & appetendarum, vitandarumque rerum scientia. (g) Qualis fuerit in *Monica*, Filius audiatur, dum matrem laudat, (h) quod viro irato, non tantum ullo factò, sed ne verbo quidem restiterit: refractò verò & quieto, cum oportunum videret, rationem facti sui reddiderit, si fortè ille inconsideratius commotus fuisset.

## Documenta.

**O** Religiose Canonice, discite & tu moribus tuis loqui juxta *Avia* tua exemplum & *Filii ipsius instructionem* (i) scribentis: Qui nec sapienter nec eloquenter dicere potest, ita converteretur  
mo-

moribus, ut non solum sibi præmium compareret, sed etiam aliis præbeat exemplum, ut sit ejus quasi copia dicendi, forma vivendi. *Modestia, virtus R. P. Petro Forerio nostro adeo familiaris, ac summo in pretio habita, quam & Gloriam Tyronum, Ornamentum Professorum, Concionatorum encomium, Sacerdotum pulchritudinem, ætate profectorum minium appellare consuevit, (k) eluceat ex lingua, ex actionibus, ex omnibus motibus tuis, atque alios hujus virtutis minus studiosos, facile corrigat, & instruat, juxta illud Doctoris tui (l) Exhortatores estote non sermonibus, sed moribus vestris. Alano nostro de Solminibac, cujus vita continua erat instructio & prædicatio, tanta quoque fuit modestia, ut omnibus admirationi esset, & indevotissimis etiam aliquem pietatis sensum instillaret. (m)*

## PUNCTUM III.

**E**xpende. Tertiam qualitatem, quam S. Paulus in uxoribus desiderat, ne scilicet sint *detrahentes*. Quàm hoc, sequioris præcipuè sexûs hominibus, familiare detractionis vitium detecta fuerit *Monica*, filius (n) testatur, matrem non modò contra Patritium maritum, virum cæteroquin ferocem, non murmurâsse, aut ei detraxisse, sed alias insuper matronas hujusmodi verba contra viros suos, longè tamen mitiores, proferentes, indignè tulisse, easque inter ami-

amica colloquia veluti per jocum, graviter tamen, admonuisse, ut conditiones suæ memores, utpote per matrimoniales tabulas ancillæ effectæ, ab hujusmodi sermonibus porrò abstererent. Quartò, ut sint *benigna seu patientes*. Patientiam latè ostendit *Monica*, sufferendo austeritatem mariti, hominis pagani, iracundi, nullo nec factis nec verbis edito indignationis indicio, mirantibus tantam patientiam ipsius fœminis coævis. Pari mansuetudine focum tuam, futurris malarum ancillarum aduersum se irritatam, ferebat, quam & obsequiis devincire ita satagebat, ut illa tantam tolerantiam miraretur, atque ultrò Patritio filio fateretur, maledicâ, atque nonnisi pacem domesticam interturbare volentium famularum linguâ iniquè se provocatam fuisse, quas proinde pro meritis castigaret. Neque hîc stetit pacis amantissimus *Monica* animus, etiam inter dissidentes atque discordes quoslibet animos, ubi poterat, tam se præbebat pacificam, ut quidquid inimicum utrinque audisset, neutri parti proderet, quod ad animos conciliandos non valeret. (o)

### Documenta.

**M**ulta te hîc oportet discere, ô Religiose Canonice. I. *Clandere auditum detractioni, que ex mente S. Augustini [p] animæ fornicatio est; omninò abscinde, inquit hîc S. Doctor,*  
[9]

[q] detractiois vitium, alienam vitam ne laceres. Detractio enim grave peccatum est, & gravis damnatio est. 2. *Fugere illorum consortium, quos huic vitio, quo periclitatur verè totum genus humanum, vel ex prava consuetudine, vel ex malitia addictos esse noveris, juxta illud Siracids.* [r] Cum detractoribus non commiscearis, quoniam repentiè confurget perditio eorum. 3. *Subducere te tam noxiis fabulis:* Non accommodes, hortatur S. Legislator [s] aures tuas ad percipienda verba detrahentium, ne concipias mortem in anima tua: Detrahenti enim & audienti, utrique esca mortis animæ est detractio & lingua. 4. *Verba alterius famam imminuentia, vel Euphrosina Vicentina nostra exemplo, in meliorem partem interpretari, aut certè sermonem malè captum aliò derivare, uti fecisse Religiosissimam Canonissam Regularem Parthenonis Inzkovianensis in Suevia Annam Huldiganam è Bavaria oriundam, illius loci manuscripta produnt monumenta.* 5. *Sufuronem non agere, nec tales audire.* Non appelleris sufurro, monet Ecclesiasticus, [r] in vita tua, & lingua tua non capiaris, & confundaris: Sufurone subtracto, jurgia conquiescere, tritum habet adagium. Ipse autem injuriis ac falsis criminationibus impeditus, Patientiam tuam erige, memor doctrina S. Patris tui [u] Præstare accipere, quàm facere injuriam, Nam eodem teste, [w]

cri-

crimen falsum, quod est calumnia, reum non facit hominem, nisi apud Judicem hominem. Ubi autem Deus iudex est, nullus falso crimine læditur, quia non, cui obicitur, sed obijcienti potius, imputatur. 6. Abstinere à murmure Teste quippe irrefragibili Doctore tuo (x) murmurator non solum seipsum destruit, sed cunctos audientes interficit. Tolerabile sanè foret, si hoc murmurationis vitium penes hos duntaxat reperiretur, qui variis mundi vanitatibus in vanitate sensus sui deserviunt, dummodo non etiam in religiosis domibus sedem fixam haberet, ita ut etiam illis, qui, cum essent in saculo, prorsus ignorabant, quid esset murmuratio, videantur in monasterio murmurandi votum emisisse, tam sunt proni ad omnem murmurationem, & assidui in illa. Dolendum certè nimis est, suspirat P. Eligius Bassens (y) & utinam, utinam sicut hoc malum gravissimum est, ita & in plerisque monasteriis non esset frequentissimum, sed prò dolor! tam familiare est factum, ut nusquam fere non reperiat, nec de illo erubescatur, imò ut malum fere nullum, vel exiguum censeatur. Tremenda est illa D. Gregorii Magni sententia: Regnum cælorum nullum, qui murmurat, accipere.

## PUNCTUM IV.

**E**xpende. Reliquas bonæ uxoris qualitates:  
Quinta est, ut sint sobria. S Augustinus  
ad

ad sobrietatem per Epistolam hortando Bonifacium Comitem: *Ornet mores tuos, scribit (aa) pudicitia conjugalis, ornet sobrietas & fragilitas: turpe enim est, ut obruatur vino, qui non vincitur ferro.* Ornamento hoc non caruit *Monica*, abstinentiæ & sobrietati in victu & potu ita studens, ut cibos sibi detrahens eosdem pauperibus elargiretur: imò jejunis, præsertim Patritio viro è vivis sublato, adeò addicta, ut quodammodo doleret, ac molestè ferret, cùm ad prandium vel cœnam vocaretur, cibos ceu medicinas amaras sumens, (bb) Mediolani existens, cùm juxta Africanæ Ecclesiæ morem epulas ad ædem sacram afferret, ut inde Convivium, *Agapen*, appellat *S. Augustinus*, (cc) in charitatis signum, pauperibus maxime, appareret, illa ex uno eodémque poculo dignationem sive prægustationem non tam bibebat quàm sorbillabat, præsertim, si in pluribus Ecclesiis *agapen* celebratura erat, ne videlicet, si plura pocula, eaque non diluta sumeret, in temperantiæ leges peccaret. (dd) Sexta est, *ut domus curam habeat.* Sollicitam certè curam familiæ & domesticorum, non temporalem modo victûs & vestitûs, sed vel maximè spiritualem, id est, animarum ab æviterno interitu liberandarum, gessit *Monica*, liberos suos, quos ex Patritio suo susceperat, non tantùm proprio lacte nutritivum, sed ad omnem honestatem & pietatem



instruxit: Maritum ad orthodoxam fidem amplectendam quâ verbis, quâ virtutum exemplis induxit: atque quod omnium caput est, maxima sollicitudine salutem *Augustini* quarebat, cujus procurandæ nulli pepercit labori, hinc dies noctesque pro filii conversione fundebat lacrymas, quem donis naturæ perperam uti, atque procul à Deo abesse, irretitum vitiis & erroribus Manichæorum, maximo animi dolore cernebat. Precibus addebat jejunia ac varias corporis afflictationes, in pauperes largas distribuebat eleemosynas, manè ac vespere, orandi gratia, Ecclesias frequentabat, Sacrificiis Missæ quotidiana astabat: implorabat homines sanctos, ut erudirent, & convincerent inani Philosophiâ inflatum filium, atque cum esset vidua, excessit Africâ, transmisit ardentem mare, quæsit illum in Italia, invenit Mediolani, nec destitit prius à cæptis, quàm abdicata Manetis hæresi, susceptoque baptismatis fonte Christiano-Catholicum intueretur. Ratas habuit pias preces ac vota *Monica* Deus, atque plura ei concessit, quàm petebat, nam non castris Catholicis duntaxat associatum, sed & obsequio Dei addictum conspexit Filium. O quantâ cor *Monica* exultavit lætitiâ, oculis intuendo filium jam mortuum, prodeuntem à sepulchro! Quas non egit Deo gratias pro sui exauditione, & filii conversione! Verè opus dexteræ Excelsi hoc fuit!

## Documenta.

**O** Religioſe Canonice, ſicut abſtinentiam, qua  
 eſt in victu temperantia, ab Avia tua Mo-  
 nica edoctus es, ita & potius temperantiam, qua  
 ſobrietas dicitur, ab eadem diſce. Hanc verò,  
 ut eò lubentiùs amplectaris, elogium ipſius ab  
 Auguſtino ſobrietatis aequè ſtudioſiſſimo, accipe.  
 Sobrietas, inquit, (ee) eſt recti iudicii tenax,  
 memoria recordationiſque inſeparabilis ſapien-  
 tia, ſecreſorum cuſtos, arcani velamen, virtu-  
 tis ſingulare auxilium, cuncta cum ratione diſ-  
 ſponens, in congregatione honeſtorum temper  
 ſe ingerens. *Quàm turpe verò ebrietatis vitium  
 ſit, ex graphica ejus deſcriptione ab eodem S. Do-  
 ctore facta intelliges.* Ebrietas eſt inſania vo-  
 luntaria, radix criminum, ſubverſio tenſùs, tem-  
 peſtas linguæ, procella corporis, naufragium  
 caſtitiſ. *Scire viſ bellos hujus arboris minimè  
 fructifera fructus?* Auguſtinum porrò audi. Ex  
 ebrietate ac temulentia membrorum conſequi-  
 tur inſirmitas, & ſicut navis validiſſimis maris  
 fluctibus ſcopulo illiſa comminuitur, ita corpus  
 & mens ebrietatis grandi procella illiſa, mem-  
 bris omnibus diſſolvitur. *Quare ex mente Le-  
 giſlatoris tui: (ff) Creaturâ panis & vini re-  
 ſtrictiùs eſt utendum, ne ipſa concupiſcentia,  
 quod malum intus ac noſtrum eſt, mentem cor-  
 ruptibili corpore ex abundantiore materia mul-*

ad magis aggravante, adversus nos vehementius concitetur. *Licita est quidem, juxta doctrinam ejusdem S. Patris, (gg) Satietas, sed illicita est ebrietas. Attamen modesti homines, ut longè se faciant à turpitudine ebrietatis, castigant se aliquantulum & à liberalitate satietatis. Sequere, ô Religiose Canonice, salubre hoc S. Patris tui consilium, atque eodem suadente (hh) ne in crimen luxuriæ, & aliorum vitiorum ac imperfectionum, statum tuum religiosum minime decentium, incurras, fugias ebrietatem. Præcipit id Apostolus: (ii) Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Vinum enim tibi Deus ad lætitiâ cordis, non ad ebrietatem donavit. Bibas ergò, non quantum gula exigit, sed quantum naturæ imbecillitas postulat, ne id, quod ad medelam corporis tui tributum est, ad perniciem deputes. Magistri in hac arte extitère noster illustris Alanus de Solminihac Episcopus Cadurcensis, & R. P. Petrus Forerius, quorum hic in minima quantitate quidpiam ex leguminibus & frigidam modico vino rubricatam, idque semel duntaxat in die sumebat (kk) Alter verò à vino & carnibus omninò abstinens ad eam abstinentiam gradus fecit, ut demùm solo pane, atro subinde & aqua contentus vixerit. (ll) His duobus alios ex ordine nostro sanctos viros jungo, Bernardum scilicet Mentonium, & Wilhelmum Abbatem Roschildensem, quorum hic solo pane*

O 3

fur-

furfureo & herbis aggressibus contentus vixit, prior plerumque pro victu suo non nisi panem, eumque cibarium, pro potu aquam, subinde felle & absynthio dilutam adhibuit, alias jejuniis & abstinentia tam deditus, ut sola oratione sustentari videretur. (mm)

Disce 2. Morum pravorum, nec non malorum consuetudinum ac vite in melius emendationem, uti & rerum arduarum negotiorumque gravium felicem successum ac expeditionem precibus a Deo ferventer petendam esse, quis enim alius juxta S. P. N. (nn) à morte omnis erroris revocat, nisi vita, quæ mori nescit, & sapientia mentes indigentes illuminans, nullo indigens lumine. Adhibenda etiam sunt varia corporis afflictationes, crebra jejunia atque alia bonorum operum exercitia, quibus cælum quasi oppugnetur, impetreturque importunè saltem, quò tanta contentione postulatur. Amat enim hoc, eodem teste, (oo) Janua Salvatoris, ut pulsatoribus semper abundat oportunis, importunis. R. P. Nicolaus Guinettus noster Congregationis Salvatoris nostri in Lotharingia per R. P. Petrum Forerium erectæ primus Rector Generalis, Romam pro curandis Congregationis hujus negotiis missus, pro eorundem felici expeditione integro illo anno, quo Romæ morabatur, præter varias mortificationes, in hunc finem assumptas, solique Deo, cordium scrutatori, notas, pane solùm & herbis vescabatur,

sta-

statuebatque secum, hanc vivendi rationem tam-  
diu se prorahere velle, donec ad optatum finem  
commissa sibi negotia perduxisset, quod intra anni  
spatium ita feliciter peregit, tot privilegii gra-  
tisque donatus, ut plus desiderare haud potue-  
rit. (pp)

(a) S. Aug. Serm. 2, (aa) lib. 35. Mor. c. 10. (b) de  
Gen. ad lit. lib. 8. c. 14. (c) cap. 2, (d) lib. 50. hom. 49.  
c. 2. (e) Tract. 2, in Ioan. (f) lib. 9. Confess. c. 9. (g)  
Epist. 238. (h) lib. 9. Conf. cap. 9. (i) lib. de doct. Christ.  
1. 4. c. 29. (k) lib. 2. c. 16. vita. (l) de verb. Dom. Ser.  
46. (m) Vir. lib. 1. c. 10. (n) lib. 9. Conf. c. 9. (o) ibi-  
dem. (p) lib. de sal. doct. c. 32. (q) Serm. 1. de quad.  
(r) Prov. cap. 24. v. 21. (s) lib. de sal. doct. c. 26. (t)  
cap. 5. (u) Cont. mend. c. 9. (vv) Psal. 118. conc. 27.  
(x) Author Ser. ad Frat. in eremo Serm. 26 (y) Tom. 2.  
Flor. Theol. verbo murmur. num. 3 (aa) Epist. 205. (bb)  
in vita S. Monica, qua habetur ultimo folio tomi X.  
Oper. S. Aug. Edit. Lugdun. (cc) lib. 6. Conf. c. 2. (dd)  
ibid. (ee) lib. de sobr. c. 1. & 3. (ff) contra iulian. lib. 3.  
c. 20. (gg) de util. jejunii c. 5. (hh) lib. de sobr. c. 37.  
(ii) ad Ephes. cap. 5. (kk) vita lib. 2. c. 14 (ll) lib. 2.  
vita c. 2. (mm) in vit. lib. 1. c. 9. (nn) lib. 7. Confess.  
c. 6 (oo) Serm. 171, de Temp. (pp) ex vita P. Petri Fe-  
verii fusiori 1, 2. sect. 2. §. 2.



EXERCITIUM III.  
MEDITATIO III.*Sancta Monica Viduarum Speculum.*Viduas honora, quæ verè viduæ sunt, *1. Tim. 5.*  
*v. 3.*

## PUNCTUM I.

**E**xpende, *S. Monicam* defuncto Patritio suo ad secundas non transiisse nuptias, sed consilium *D. Pauli* suadentis [a] viduis, ut tales, qualis ipse esset, permanerent, secutam, reliquis vitæ diebus constanter egisse castam & operibus misericordiæ exercitam viduitatem. [bb] Inducta verò fuit cum *Judithæ & Annæ Prophetissæ* exemplis, quæ primis maritis orbata, continentia amore, alios in consortium admittere volebant, tum, ut juxta eundem Apostolum, sine impedimento curarum domesticarum & absque ulla distractione Deo majori devotione servire, sanctisque aliis exercitiis vacare posset. *Mulier enim innupta cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu*, [c] sanè attestante *D. Ambrosio*: [d] *propemodum non inferioris virtutis est, eo abstinere conjugio, quod aliquando delectauerat quam conjugii oblectamenta nescire.*

Do-

EXER-

40

## Documenta.

O Religioſe Canonice, triplici trium Religio-  
nis votorum funiculo Deo obſtrictè, & tu cogi-  
ta, non que mundi, non que ventris ſunt, non  
que carnem aut vanitatem ſapiunt, ſed que Do-  
mini ſunt, que virtutem redolent, que ad per-  
fectionem ſtimulo tibi ſunt, hæc, non tantùm co-  
gita, ſed & loquere & operare Fortaſſis mul-  
tis te occupatum negotiis aſſeris, ſed quibus? In-  
utilibus certè & mentem tuam in diverſa distra-  
hentibus, atque à Deo abſtrahentibus. Porrò  
unum eſt neceſſarium, quod agas, ut Deo pla-  
ceas, atque omni conatu ei deſervias, eo in ſta-  
tu, ad quem non tuis meritis, ſed ipſius miſe-  
rentis gratià vocatus es: huc aſſiones, huc cogi-  
tationes tua dirigenda, conſcientia tua liber in-  
ſpiciendus, num proficias, an deficias? Regula,  
conſtitutiones inſpicienda, legenda, atque inda-  
gandum, an aſſiones tua ad amuſſim illarum for-  
mata? Vota religioſa examinanda, an a te per-  
fectè obſervata? Sed dolendum profectò tam pau-  
cos modo in religioſis domibus inveniri, qui in-  
ter rot millenas, quas unius anni intercapedine  
animo voluunt cogitationes, ne unam quidem,  
non dicam ſeriam, ſed nec per tranſennam, aſ-  
ſumant cogitationem cum Bernardo, ad quid mo-  
naſterium ingrediendo venerint; adeò incurri  
ac negligentes vocationis ſua, occupati verò ne-  
ſcio,

scio, quibus otiosis, vanis ac inutilibus cogitationibus. Sed va! qui cogitatis inutile. Certè, uti de omni verbo otioso, ita & de omni cogitatu otioso rationem & quidem strictissimam reddaturi! *Pensanda sunt verba Africani Præsulis: (e) Hic nihil est, ait, quod sic quisque cogitare debeat, nisi ut in semetipsum oculos convertat, in se discat, te discutiatur, se quærat, & se inveniatur, & quod displicet, necet, quod placet, optet, & plantet. Cetera inter Alani nostri Cadurcensis Episcopi decreta strictè observata, hoc erat, cogitationes inutiles devitare, & si in mentem venerint, mox spiritu in Deum elevato suam illius voluntati unire (f) Qui ad hoc totus erat, ut vocationem suam religiosam perfectissimè adimpleret, quam tanti faciebat, ut eam universis mundi pompis anteferreret, eò cogitationes, eò actiones suas omnes flectebat, ut & in Episcopali dignitate constitutus Regulam S. P. N. Augustini singulis octiduis, constitutiones vero Religiosis suis Canonicis Cancellatensibus à se præscriptas, singulis quindecim diebus relegerit, seipsum examinando, an non in easdem peccarit, subiturus dein spontaneam pœnam: atque ut observantias Regulares meliùs custodiret, in arce Episcopali sua Mercuesii octo Canonicos Regulares secum habere voluit. (ff)*

PUN<sup>o</sup>



## PUNCTUM II.

**E**xpende *Monicam* in statu viduali iis fulsisse virtutibus, ob quas *D. Paulus*, viduas honorare, *Timotheum* tuum iusserat, (g) imprimis, uti vivente marito domûs suæ, & liberorum sedulam curam gessit, ita & hanc, eo demortuo, neutiquam depoluit, æquè de salute corporis ac animæ illorum sollicita, quod ipse *Augustinus* filiorum *Monica* natu maximus, manifestè indicat in suo Confessionum libro, (h) dum ait, *Nutricbat filios, tottes eos parturiens, quoties à te deviare cernebat.* Imò non liberorum suorum modò, quos ex *Patritio* genuerat, sed aliorum quoque, qui acceptâ *Baptismi* gratiâ in *Deo* consociati, cum filio *Augustino* vivebant, ita curam gessit, quasi omnes genuisset, atque ita eisdem servivit, quasi ab omnibus genita fuisset (i) 2. Defuncto marito spem suam unicè in *Deo* collocatam habuit, insinuante id *Augustino*, (k) verè illud *Jesai* vatis (kk) usurpans, *Mihi autem adherere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Maledictus enim, qui spem suam ponit in homine, (l) Deus, scitabit idem S. Doctor, (m) sit spes tua, qui fecit hec omnia, melior est omnibus, qui fortia, fortior: qui magna, major, quidquid amaveris, ille tibi erit. Disce amare in creatura Creatorem, & in factura Factorem: ne teneat te, quod ab illo factum est, & amittas eum, à quo ipse*  
fa-

*factus es.* Hanc doctrinam filii oppidò mater prius opere implevit, quàm is calamo posteris hominibus transmitteret. 3. *Instabat orationi:* Nec enim contenta *Monica* domi privatas preces fundere ad Deum, etiam bis in die, manè scilicet & vesperè Ecclesiam, orandi gratiâ adibat, tamdiu ibi morata, ut vix unquam à templo recedere videretur. (n) Nec porro aliò ejus transferebantur desideria ac animi tenfa, quàm ad sanctissimum Dei obsequium, spiritûs perfectionem & æternam felicitatem. Quem in finem nunquam intermisit, quin incruento Missæ Sacrificio quotidiana adstaret, crebriusve SS. Christi corpore reficeretur. Aliquando hoc cœlesti cibo in sacra æde D. Cypriani pasta, tota amoris flamma inardescens, & à terra elevata, nec non in aëre sublimis, exclamare cœpit: *Volumus ad cælum, volumus ad cælum:* Interrogata verò, ubi ad se rediit, unde hæc sibi accidissent, candore columbino, uti solebat, respondit illud Regii Vatis, (o) *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* (p)

Ad obsequium Dei, sive ad veram Religionem quoque spectat legum Ecclesiasticarum observantia, quas *Monica* neutiquam prætergressa ad amissim observare studebat, teste *Augustino*, (q) Hoc divini cultûs zelo accensa, cum *Mediolani* apud nocturnas Vigilias, in Sanctorum solemnibus celebrari solitas, quædam minùs ho-

ne-

nesta in sacris ædibus fieri cerneret, Ambrosium Antistitem admonuit, qui dein Vigiliis in jejunia, laudabili consilio, commutavit. (r) Præterea Christi JESU nomen ita occupaverat cor ejus, ut redundans in lac, *Augustinum* quoque ab infantia dulcedo tanti nominis adeò corripuerit, ut nihil ei deinde placere vellet, quod non hoc mellifluo sapore conditum esset. Hinc in hodiernum usque diem singulare signum *S. Monica* est Nomen JESU in diphicho.

### Documenta.

**D**isce, ô Religiose Superior, *domesticorum*, *puta famulitii, æquè ac filiorum tuorum spiritualium sedulam curam gerere.* Regite familias vestras, *hortatur S. Doctor noster, (r)* Quomodo ad nos pertinet in Ecclesia loqui vobis, sic ad vos pertinet in domibus vestris agere, ut bonam rationem reddatis de his, qui vobis sunt subditi: annunciate, præcipite, imperate, luadete eis, ut caveant sibi à superbia, à detractioe, ab ebrietate, à fornicatione, à luxuria, ab ira, à cupiditate, quæ est radix omnium malorum. (u) *Sapè laudatus, sed nunquam satis laudandus Alanus de Solminibac Episcopus Cadurcensis noster leges saluberrimas pro domesticis suis quâ Ecclesiasticis quâ secularibus in arce sua Episcopalt degentibus, prescripsit, quæ ad amussim, laudabili exemplo ac maxime*

ant-

animarum fructu servabantur. Habentur ea lib. 2. cap. 5. vita ejus, Campiduni anno 1672. edita. Nec spiritualement suorum duntaxat cordi habebat salutem, corporali etiam, infirmorum presertim, prospexit, quibus suis sumptibus pharmaca atque alia pro solatio & sanitate restituendam administrari jussit: hos sapiens invisebat, ad patientiam eos adhortatus, verbo, cuius ingenium amoris affectum demonstravit. sapiens dicens, Domesticos nostros amanter nos habere oportet.

Disce & tu Religiose Canonice 1. *Spem & cogitatum tuum ponere non in filiis hominum, in quibus non est salus, sed sperare in Deo vivo, (w) qui præstat tibi omnia abundantè, ad fruendum laudabiliter; neque etiam, eodem hortatore, (x) sic spes tua de hoc sæculo, qui ab amore hujus sæculi vocatus es, ut aliud sæculum speres.* 2. *Observantissimum esse legum Ecclesiasticarum, siue ea concernant cultum divinum siue alios ritus, constitutionum quoque cænobii tui, nec non Regularum tuarum, quantumvis minime ac levis momenti fortassis tibi videantur.* Particulatim enim, inquit noster *S. Isidorus Hispalensis, (y) crescunt vitia, & dum parva non cavemus, in magnis prolabimur. Minora devita, & ad majora non devenies. Hoc ipsum sentiebat S. P. N. scribendo, (z) Dum homines negligentes imprimis despiciunt peccata, quia parva sunt, crescentibus minutis peccatis ad-*

adduntur etiam crimina, & cumulum faciunt, & demergunt. *Familiare B. Laurentio Justiniano nostro fuit apophthegma.* (zz) Servi Dei non esse, à magnis peccatis cavere, id enim sæcularis hominis est, sed parva vitare, ne charitas refrigerat. *Hinc in Regula sua* [a 2.] S. Legislator noster non sine causa, statim admoneri cupit eum, qui in fœminas oculum figere incipit, ne scilicet malè cœpta progrediantur, sed de proximo corrigantur. *Cujus etiam est hæc saluber-  
rimum monitum.* [b 2.] Ut quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicunque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur. *Præclare movent Statuta Gallicana Congregationis nostre Canonicos suos Regulares,* [c 2.] ut studeant omnes, etiam in minimis fideles esse, quælibet præcepta Regulæ inserta exequi, eo quo dictata sunt spiritu, non sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti. Ut etiam singulis mensibus & à quolibet legantur statuta communia, ea etiam quæ pertinent ad illud officium, cui quisque commissus est, ut sic fidelius ea servare proponat. *Idipsum præcipiunt Constitutiones Canonorum nostrorum Congregationis Lateranensis.* [d 2.] *Statuta nostri Collegii S. Crucis Augustani à Paulo V. Romano Pontifice approba-*

ita habent. [e 1.] Ne hujusmodi sanctæ ordinationes in oblivionem & contemptum veniant, volumus, ut nunc, & in futurum singulis annis in Conventu ad minùs bis legantur; Novitiis quoque & minùs peritis, frequentius in Capitulo, & alibi legantur, & diligenter exponantur; atque ad observantiam eorum omnes instigentur sub hac spe, æternam beatitudinem possidendi &c.

3, Alano nostro, cui probè perspectum erat, per-  
 3, fectionem religiosam ab accuratâ Regularum ac  
 3, Constitutionum observatione pendere, si subin-  
 3, de propter necessitatem aliquam iter suscipien-  
 3, dum erat, valedictionis ergò suos Religiosos Ca-  
 3, nonicos amplectendo hortabatur, ut curam ha-  
 3, berent observandi Regulas & Constitutiones:  
 3, si scribebat, nunquam omittebat illis hoc iptum  
 3, in litteris suis commendare. Præterea voluit,  
 3, ut & minima observarentur, dicens, hoc esse  
 3, necessarium ad conservandum fervorem, nec  
 3, Religionem aliter nisi hac ratione subsistere, &  
 3, modicas infractiones evertendis florentissimis  
 3, comunitatibus sufficere, quandoquidem negle-  
 3, ctu minimorum relaxarentur. Incessanter cla-  
 3, mabat, accuratos solùm religiosos verâ pace gau-  
 3, dere, & adductis omnibus rationibus, quibus  
 3, exacta observatio persuaderi poterat, contesta-  
 3, batur, se nunquam, quoad victurus esset, sua  
 3, benedictione dignaturum eos, qui non priùs mo-

ri mallent, quàm transgredi unam regulam, vel  
contra unam constitutionem delinquere, nec  
ejusmodi pro suis filiis in supremo Judicii die  
agniturum. Quare transgressiones leves æquè  
ac magnas corrigebat, ac puniebat, asserens  
indulgentiam in talibus occasionibus non esse  
manuetudinem, sed negligentiam culpæ ream.  
(f. 2.) Ejusdem cum Alano observantiæ regu-  
larum spiritûs fuerunt æquè ex nostris, sæcu-  
li hujus lucida sidera, R. P. Petrus Forerius,  
& R. P. Carolus Faure, hic Canonicorum Re-  
gularium in Gallia, alter in Lotharingia Re-  
formator. Qui Carolus severissime defectus  
contra Regulam & Statuta commissos in pu-  
blicis Capitulis, ut vocant, ac tanta vehemen-  
tia vultuque tam austero plectebat, ut etiam  
innocentissimi quique contremiscent (g. 2.)  
Hujusmodi strictissimi Regularum observato-  
res ex innumeris nostrorum, quorum hic  
mentio meritò habenda foret, extitere S. Gil-  
bertus Sempringhamensis Anglus, P. Joannes  
de Aqua Zwollensis Belga, ex Congregatione  
Windesemensis, & P. Innocentius Keferloher  
Decanus Diessensis in Bojaria.

3. *Aquo imò lubenti animo ferre, si defectus  
& errores tui ex confusionis & profectus interni  
desiderio aliis sint noti, iique correctionis gratiâ  
ad Superiores deferantur. Alanus de Solmini-  
bas duos sibi constituit monitores, qui ipsum li-  
bera*

P

bera

berrimè defectuum suorum commonefacerent, quos  
 & continuè ad se vocabat, quæsturus, quid in  
 se corrigendum notaverint. (h 2.) Statuta Con-  
 gregationis nostræ Gallicanæ (i 2.) volunt, ut sui  
 Canonici petant majoris humilitatis & profectûs  
 spiritualis studio, quolibet mense, ut omnes er-  
 rores & defectus sui, in charitate fraterna, per  
 quemcunque, qui eos extra Confessionem aud-  
 dierit, aut viderit, Superiori, ut Patri filiorum  
 utilitatem procuranti, manifestentur. *Quod si*  
*& tu in Monasterio in Con-Canonicis tuis, non*  
*curiosus indagator, aut lividus aliorum censor,*  
*reperias, quod Regula, Statutis repugnet, aut*  
*statum religiosum minus deceat, id ad Superio-*  
*rem submissè deferas, eas observant Regulas,*  
*quas paulò ante laudata Gallicanæ Congregatio-*  
*nis constitutiones (k 2.) saluberrimè præscribunt,*  
*ut scilicet ad orationem confugas, & pro solius*  
*Dei honore, fratris salute, & Religionis con-*  
*servatione id deferre proponas, deinde omnem*  
*affectum & commotionem animi, quantum po-*  
*teris, priusquam superiorem convenias, morti-*  
*fices, & comprimas: Postea ad Superiorem ac-*  
*cedens solam rei veritatem aperias, sine ulla*  
*exaggeratione & perturbatione, fratrem etiam*  
*excusando, aut peccatum ejus minuendo potiùs,*  
*quàm accusando, solaque manifestatione sim-*  
*plici contentus nihil ex ea concludas. Admo-*  
*net quidem nos S. Legislator noster (l 2.) peccata*



nostra invicem non negligere, non quærendo quòd reprehendas, sed videndo, quòd corrigas.

## P U N C T U M III.

**E**Xpende. Residuas dotes à D. Paulo in veris Viduis desideratas, nempe 4. *ut fugiant delitias*: *Monica* certè vanos jocos, inanes superfluitates, levitates ac sæculares nugas, velut saltus, spectacula, convivias, similiaque periculis exposita oblectamenta, quàm diligentissimè declinabat: Nam *qua in delitiis est vidua*, scribente Apostolo, (m 2.) *vivens mortua est*: Vivens quidem, si corpus ejus spectes, si verò animam, propter concupiscentias atque peccata sua. Verè *S. Augustinus* (n 2.) *Mortua est vidua, qua in delitiis vivit, ad quas delitias per cupiditates tanquam per portas mortis pervenitur.*

5. *Ut irreprehensibiles sint.* *Monica* oppidò modestiæ, atque honestati studebat, flocci habens honorum titulos, similesque sæcularium punctualitates ambitiosas. Contra verò pauperibus & infirmis inserviebat, afflictos solabatur, exemplo virtutum suarum prælucebat Matronis junioribus, virginibusque, simplici modestoque utebatur vestitu, quem atrii coloris, atque à Beatissima Deipara ei paulò post Conversionem filii dictatum fuisse, nonnulli ex sacro Eremitarum Ordine suspicantur viri. (o 2.) Vultu erat serena, at verecunda, moribus composita & gravis: Verbo: *Serva servorum Dei, ut*

eam appellat *Augustinus*, (p 2.) erat *Monica*, a: que in operibus bonis testimonium habens. Hinc quisquis eorum, qui noverant eam, verba sunt *Filii*, (q 2.) multum in eâ laudabat, honorabat, & diligebat *Deum*, quia sentiebat presentiam illius in corde ejus, sancta conversationis fructibus testibus.

### Documenta.

**D**isce, ô Religiose Canonice, qui mundum deseruisti, ejusque concupiscentiis ac moribus renuntiasti, cor tuum ac aures illius negotiis, rumoribus ac vanitatibus non amplius involvere. Delitiæ spirituales delitiis carnalibus ac terrenis succedant, monente *S. Doctore tuo*, (r 2.) Delitiæ spiritûs tui divina sint cantica, ubi & fletus sine gaudio non est. (s 2.) Fuge, ex mente ejusdem *S. Patris tui*, (t 2.) spectacula, fuge caveas turpissimis diaboli, ne te teneant vincula maligni. Sed si oblectandus est animus, & spectare delectat, exhibet tibi *S. Mater Ecclesia* veneranda ac salubria spectacula, quæ non corrumpunt, sed custodiunt fidem. (u 2.) *Quæ non minuunt, sed augent devotionem ac spiritûs fervorem.* *Alanus de Solminihac* adhuc juvenis Religiosus, ac *Parisiis Theologia* operam navans, omne lusuum genus sibi interdixit, atque cùm aliquando *Gallia Regi Ludovico XIII.* ob urbem quandam captam victori urbem intranti *Lutetia*

tota obviam occurreret, Sorbona<sup>3</sup> discipuli accurrerent, is ne pedem quidem e suo conclavi movit, (w 2.) B. Joannes Warneſtum noſter Moſſinorum Episcopus, dum alii ſpectacula vel ipſi exhiberent vel ab aliis exhiberentur, caeleſtibus intentus domi in conclavi ſuo lectioni aut orationi inſiſtebat. Quod ſi ſpectacula illa in cundo (quod ſapè in ea civitate, ubi morabatur, fieri ſolebat) offendiffet, gravi quadam auctoritate prateriens, ne per tranſennam quidem ea aſpicere dignabatur. [22]

Diſce 2. Honoratiores titulos, & quæ ab illis ſperari poteſt, gloriam ac popularem auram, limites fumi haud excedentes, non ambire, ſi Auguſtino, teſti omni exceptione majori, credas: In cælo verus honor nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno. Sed nec ad Deum ambiet ullus indignus, ubi nullus permitteretur eſſe indignus. [a 3.] Alanus noſter ægerrime titulum Abbatis ferebat, atque ne talis cognoſceretur, Crucem pectoralem depoſuit, neque ſe Dominum, ſed Patrem, aliorum Canonicorum Religioſorum more, appellari patiebat. [b 3.] Noſter B. Petrus de Honetiſ, primus Portuenſium propè Ravennam Prior, ob animi demiffionem ſe ſemper Peccatorem ſcribere ſolitus erat. [c 3.] P. Petrus Forerius licet eſſet Reformator ac Generalis Ordinis Canonici noſtri in Lotharingia, licet eſſet author novæ Congregationis Monialium B. M. V.

vulgò de Noſtre Dame nuncupata, neutiquam tamen ne minimum quidem honoris titulum ſive in Epiftolis, ſive in privatis, ſive publicis congreſſibus ac colloquiis admittebat, niſi ſolum nomen Patris.

## PUNCTUM IV.

**E**xpende. Singulare tæminarum, præſertim maritis orbatarum decus eſſe Taciturnitatem, quod in Epiftola ſua ad Timotheum ſcripta inſinuat D. Paulus, dum [d 3.] *mulierem in ſilentio cum omni ſubjectione diſcere, & [e 3.] in ſilentio eſſe vult.* Euripidi in *Heraclit.* fœminæ pulcherrimum ornamentum eſt *Silentium & Modestia.* S. *Augustinus* [f 3.] in claſſe vitiorum à viduis fugiendorum reponit *verboſitatem*, atque eaſdem, [g 3.] inſtruens. „Quæ veræ viduæ eſtis, *inquit*, cuſtodite viduitatem: non eſtote verboſæ, ſed cum ſilentio exſpectate Dominum, qui pupillum & viduam ſuſcipit. Et paulò infra: „Mulieres non maledicite, non jurate, non promptæ eſtote ad loquendum.„ *Monica* utraque hoc decore ornata extitit. Taciturna quippe [verba ſunt R.P. Thomæ Trugilli ex Ordine Prædicatorum Theologi [h 3.] maximè erat & ſilentii ſtudioſa: cum verò loquendum ſibi eſſet, ſapienter & accommodatè loquebatur. Imò *Augustinus* de ſanctitate Matris ſuæ ad Deum verba faciens, pateticè fatetur, ex ejus ore poſt tuam converſionem

nem ne unum quidem verbum, præceptis divinis contrarium aut repugnans processisse.

Documenta,

**D**isce, ô Religioſe Canonice, ab Aviatuâ duplicem hanc artem, loquendi ſcilicet bene & oportune, non moroſe ſilendi. *Amba quidem ardua ſunt, ſed oppidò tibi neceſſaria. An non arduum, in lingua, qua non fruſtra, ex mente S. Patris tui [i 3.] in udo eſt, & facile labitur, non delinquere? Quis eſt, inquit Siracides, [k 3.] qui in lingua non deliquerit? quis eſt, qui non ſubinde, imò ſepius protulerit verbum, ſi non peccamiſum, ſaltem otioſum, aut ſine debito carens? Perfectum certè virum altruxit S. Jacobus, [l 3.] qui in verbo non offendit. O Lapidēs offenſionis verba aculeata, verba detractoria, verba murmuratoria, verba otioſa, verba honeſtatem minùs redolentia, verba alienam famam imminuentia! In hoſ ſcopulos ne impingas, prudentia ac circumſpectione opus; neque id omne, quidquid in buccam venit, temere effutias, unde poſtmodum ſerò & fruſtra pœniteas. Pende priùs, ex ſententia S. Doctõris tui, [m 3.] quod dicturus eſ, examina, conſule interiorem veritatem, & ſic proter ad exteriorem audito-rem. Cujus etiam eſt hoc ſalutare monitum apud R. D. Alanum Weberum noſtrum. [n 3.] Sicut eligis, quo veſcaris, ſic elige, quò loquaris: cibum per os ingreſſurum exami-*

nas, cur non etiam egressuram per os verbum] quod sapè graviores excitat tragœdias in domo tua, quam cibus in stomacho. Sicut verò per os intrant cibi corruptibiles, mortuorum animalium carnes, ita prospiciendum tibi est, ô Religiose Canonice, ut qui ex ore tuo exeunt sermones, sint immortalitate digni. Non sint, ut monet Epictetus [03.] de gladiatoribus, non de ludis circensibus, non de pugilibus, non de cibus, non de potionibus, vel ut hortantur Statuta Congregationis nostræ Gallicanæ, [p 3] non de novitatibus aut rumoribus sæculi, aut denique non de rebus frivolis, nugatoriis, profanis, famam proximi ludentibus, atque non spiritualibus. Irreligiosi enim cordis indicium est, de rebus profanis in Religioso locutio. Preinde sint verba ac colloquia tua talia, qualia Magister tuus Augustinus [q 3.] esse capit, nempe, ut illis non tantummodo alios delectare, sed edificare possis: sint, quæ tuam deceant sanctitatem & devotionem, sint quæ laudem Dei & proximi adificationem resonent, (r 3.) sint veluti effata, sint sapientia pronuntiata, sint alienius scientiæ axiomata, sint veluti moralis doctrinæ apophregmata, sint velut è tripode effusa oracula, sint veluti mysterii alienius arcana. Nihil ex ore prodeat, nisi Evangelium, virtus, cælum, Deus. Sint huiusmodi, ut de te dici possit, quod de S. Honorato Episcopo S. Hilarii Arelatensis, (s 3.) Nunquam in

tuò ore nisi pax, nisi castitas, nisi pietas, nisi charitas, nunquam in corde, nisi horum omnium fons, Christus habitavit. Porro *Philologum te esse oportet non Logophilum, id est non garululum, non loquacem, sed taciturnum, ac verba sapienter in tempore proferentem. Quod addisces, si linguam silentii frano coercere didiceris. Ni enim id fiat, ex D. Jacobi Apostoli [c. 3.] oraculo, vana crit tua Religio. Sed quo Doctore addisces? Scientiam benè loquendi doceri non posse, affirmat S. Basilius, nisi tacendo, & se diu multumque silentio exercendo. Regula benè loquendi, inquit noster B. Laurentius Justinianus (u. 3.) est, ut discat quisque prius tacere, quàm loqui. Tace prius & audi, sunt verba Mediolanensis Antistitis Ambrosii (w. 3.) & non delinques in lingua tua: in silentio & quiete proficit anima devota, scribit silentii amanti-  
tissimus Thomas Kempensis noster, (a 4.) certè nemo securè loquitur, nisi qui libenter tacet. Præclara res est silentium, inquit P. Alphonsus Rodriquez è Soc. Jesu, (b 4.) nihilque aliud, quàm mater sapientissimorum cogitatum: Ex mente Stephani Parisiensis nostri pacem cordis generat, virtutum fragrantium spirat, morum concordiam servat, divinam bonitatem & Angelicam contemplatur beatitudinem. Statuta nostra S. Crucis decorem & custodem Religionis, nec non optimum remedium acquirendi & confer-*

vandi spiritum appellant. Alii aliis silentium encomiis afficiunt, ac varios illius effectus in medium adducunt, qui meritò illius amorem conciliare debent. *S. Maria Magdalena de Pazis* ex sacra Carmelitarum familia asserere solebat, animam religiosam, quæ non delectatur silentio, gustum in rebus divinis sentire non posse (c 4.) *Joanni Mauburno Abbati Liuriacensi* nostro. (d 4.) Claustralis sine silentio, est ut equus sine fræno, castrum sine claustra, urbs sine porta, vinea sine sepe, ubi autem sepes non fuerit, possessio diripietur. Vir linguosus, asserit *S. P. N.* (d 5.) amat mendacia. Quid enim illi est voluptas, nisi loqui? non enim attendit, quid loquatur, dum loquitur. Unde laudabili more in benè moratis Religiosorum domiciliis ac familiis receptum est, ut certis temporibus nocturnis pariter ac diurnis, extra horas recreationum, certis quoque in locis, uti Refectorio, sacro Odeo, dormitorio, sacrario, cubiculis, officinis, strictum ab omnibus seruetur silentium, nisi necessitas, præceptum Superioris aut fraternæ charitas omnino aliud exigat: tunc brevissimè & submissa voce, ut præscribunt Statuta Congregationis nostræ Gallicanæ (c 4.) vel uti habent nostri *S. Crucis Augustani Collegii Constitutiones* (f 4.) unica oratione imperfecta, imò Congregationis nostræ *S. Salvatoris Bononiensis sanctiones* (g 4.) si tempore silentii quid opus fuerit, sonitu cujus-

cun-



cunque signi, vel aliquo quocunque nutu potius quàm voce, fieri iubent. Porro statuta nostra nec pretextu hospitum silentium in refectorio violari aut solvi, etiam submisse, admittunt. S. Theresia de Jesu in cælo jam gloriosa volebat, ut sue filia silentio essent addicta, unde si quando aliquæ tempore silentii loquebantur, audiebant tres iæsus super portam cubiculi, ac si S. Theresia eas è cælo communefaceret silentii religiose integrèque servandi. Imò Christus ipse ne charitatis quidem obtentu illud vult violari. Quare cuidam loquendi gratia, sub charitatis colore, infirmum invisenti eo tempore, quo tacendum erat, disertè dixit Vox è Crucifixi Christi ore audita: Non placet mihi ista charitas. (h 4.) P. Guilielmus Vornken Trajedensis ex Congregatione nostra Windesemensis Canonicus Regularis, licèt egros domesticos quotidie inviseret, illis compatiendo, & ad tolerantiam adhortando, quia verò in multiloquio raro peccatum exulare deprehendit, dicere consueverat, infirmos crebrò quidem invisendos, sed non longam moram apud ipsos protrahendam esse, ut evitentur vana colloquia, atque detractiones, quæ plerumque obrepere solent, ubi plures conveniunt, & verba multiplicantur. (i 4.) In Ordinis nostri Abbatiali Collegio B. Virginis Cancellatensi Diocesis Petragoricensis, cui Alanus de Solminihac ante Episcopatum Cadurcensem Abbas præerat, tam accu-

ratum, aliúmque silentium temporibus & locis  
 prescriptis observabatur, ut aliquo modo barba-  
 rum nominari posset: nemo alius, præter officia-  
 les, per domum itare conspiciebatur, quilibet in  
 suo secessu persistebat, & nisi aliunde notum fuisset,  
 Abbatiam istam à pluribus Religiosis Canonici-  
 cis inhabitari, eam desertum esse, quispiam existi-  
 masset, ita omnia devotionem spirabant. (k4.)  
 Alanus ipse legum ac silentii observantissimus,  
 finita religiosa recreatione, à qua nova, joci,  
 omniáque vana & inutilia colloquia proscrip-  
 ta erant, solum spiritualia ac edificatoria, vel ex  
 lectione mensa audita, vel privatim lecta, vel  
 denique ex sacris litteris aut aliis scientiis pe-  
 tita audiebantur, dato ad tacendum signo, mox  
 etiam colloquio finem imposuit, amplius ne ver-  
 bum locutus. (l4.) Eundem morem tenuit R. P.  
 Innocentius Keferloher Collegii nostri Dieffensis in  
 Bavaria Decanus vir noti zeli ac in se rigoris,  
 qui etiam in alienis Ordinis nostri domiciliis ob  
 certa negotia existens, pulsúmque ad silendum  
 dari audiens, statim conticuit, ultra ne syllabam  
 proferens. Horum imitatores aequè ex nostris,  
 paucos recensendo, extitèrè P. Otto Lyman Go-  
 schensis, P. Joannes de Aqua ambo Windesemensis  
 Congregationis, Gerlacus Joannis, Simplicianus  
 Andreis, quorum hic Garsensis in Bojaria, alter  
 Windesemensis cœnobii extitit Conversus, in hanc,  
 silentium strictè tenentium, classem veniunt ex

nostratibus Canonissis Regularibus, Hilaria ad Gumpenberg, Anna Maria Huldiana Inzkovienſis in Suevia, Christina Heinschin Maria-burgensis, ditionis Eustadiana, V. Euphrosina ad S. Thomam Vicentini Parthenonis Canonica Regularis. Ne verò silentii violatores negligentiam suam impunè ferrent, certè in eisdem sancita sunt pœna. Statuta Lateranensa (m 4.) hujusmodi transgressorem pro qualibet vice culpam suam in refectorio dicere, & Psalmum Misere-te brachiis extensis tempore communis refectio-nis orare præcipiunt. Constitutiones Congrega-tionis nostræ Bononiensis, (n 4.) frangentem si-lentium in refectorio, in uno prandio sedere ad terram, infringentem verò illud alias infra diem naturalem septies, similiter sedere ad terram in uno prandio volunt. S. Joannes Climacus (o 4.) recenset à Præside sancto cujusdam Monasterii, visos quosdam tempore orationis invicem collo-quentes, ante fores Ecclesiæ stare jussos esse, ut per septem dies cunctis intrantibus & exeuntibus se prosternerent, sive Clerici, sive Presbytero-ri fuissent.

(a) I. Cor. 7. (b) Brev. Rom. 4. Maji. (c) loc. cit. v 34. (d) lib. de vid. (e) de verb. Dom. Serm. 12. c. 4. (f) lib. 2. cap. 4. (ff) lib. 2. cap. 5. (g) c. 5. (h) lib. 9. Confess. c. 9. (i) ibidem. (k) lib. I. Confess. c. 15. (kk) Psal. 72. (l) cap. 17. Jerem. (m) in Psal. 39. (n) Tru-gillo in thes. conc. in S. Monica fol. mihi 1098. (o) Ps. 83.

(P)

(p) *Penequin. in Isag. par. l. c. 27. n. 10.* (q) *l. 6 Conf. r. 2.* (r) *Trugillo loc. cit.* (s) *Nebrid. à Mindelh. Canon. Reg. in vita S. Aug. l. 1. c. 29.* (t) *in Psal. 51.* (u) *idem de sal. doct. c. 29.* (vv) *S. Aug. ex add. à Carth. 10. 10.* (x) *de Verb. Dom. Serm. 39. c. 1.* (y) *in norma vivend. c. 6.* (z) *Serm. 88. de temp. xx. in vita c. 9.* (az.) *c. 5.* (b 2.) *Epist. 129. (c 2.) part. I. c. 4. (d 2.) part. I. c. 2. (e 2.) c. 12. (f 2.) lib. 1. vit. c. 11. & 18. (g 2.) P. Claudius Molinet. Can. Reg. in vita P. Caroli MS. (h 2.) lib. 2. vita c. 4. (i 2.) Constit. Cong. Gallic p. 1. cap. 9. (k 2.) part. 1. c. 15. (l 2.) Serm. 10. de Verb. Dom. cap. 1. (m 2.) ad Timoth. 5. (n 2.) Psal. 9. (o 2.) Paulus Bergomenfis, Augustinus à Tolent, Georgius Maigretius, ac novissimè R. P. VVelfgangus Eder Evem. Augustinian. Monachii in erudito libro, quem de Confraternitate Cinguli Coviacei nigri hoc anno 1676. germanicè ibidem edidit. par. I, c. 3. (p 2.) lib. 9. Conf. c. 9. (q 2.) loc. cit. (r 2.) de bono vid. c. 21. (s 2.) Psal. 145. (t 2.) de symb. lib. 2. c. 1. (u 2.) eod. lib. c. 2. (vv 2.) lib. 1. cap. 4. (x 2.) Ioan. de Colle Medio Can. Reg. in vita apud Bolland. To. I. 23. die Ian. (a 3.) lib. 22. de Civit. c. 30. (b 3.) l. 3. c. 1. vita (c 3.) Gabriel. Pennotus Can. Reg. l. 2. hist. Trip. c. 47. (d 3.) cap. 2. v. 11. (e 3.) v. 12. (f 3.) lib. de bono conjug. cap. 12. (g 3.) Serm. 7. de Temp. (h 3.) in Thes. Conc. 10. 2. (i 3.) in Psal. 38. (k 3.) c. 19. 13. c. 2. (m. 3.) Psal. 38. (n 3.) apud P. Adam. VVeberum Can. Reg. in Itin. caelesti par. 2. diff. 6. (o 3.) Ench. 41. (p 3.) c. 12 (q 3.) lib. 4. de anima. (r 3.) Fasc. am. c. 11. (vv 3.) lib. I. offic. (a 4.) lib. I. c. 10. & 20. de imit. (b 4.) part. 2. tr. 2. c. 5. (c 4.) Ceparius in vita c. 44. (d 4.) in erud. exerc. tit. 2. alph. y. memb. 3. (d 5.) part. 1. cap. 12. (f 4.) cap. 17. (g 4.) cap. 14. (h 4.) P. Samuel Laberhittel S. 1. Med. 29. pag. mibi 57. (i 4.) Ioan. Buschius Can. Reg. in Chron. VVindes. lib. 2. c. 47. (k 4.)*

(k 4.) *vita Alani* l. I. c. 14. (l 4.) *vit. c. 18. (m 4.)*  
part. I. cap. 22. (n 4.) lib. 6. apud Ioseph. Mozzagr-  
num *Can. Reg.* (o 4.) gradu 4.

*Quibus de rebus tempore Recreationis  
loquendum.*

1. **D**E vita Christi, B. Virginis, S. P. Augu-  
stini, deque historiis Ecclesiasticis.
2. De historiis *Canonicorum Regularium*, tum  
rerum, tum personarum.
3. De bonis cuiusque desideriis ad proficien-  
dum in via perfectionis, deque fructu ex me-  
ditatione collecto.
4. De bonis desideriis proficiendi in via virtu-  
tum, in pietate &c.
5. De rebus, quas in sacris lectionibus aut con-  
cionibus, vel inter prandendum aut cenan-  
dum audierunt.
6. De spiritu & constituto *Canonicorum Regu-  
larium*, de Constitutionibus, de Regula, &  
gratia vocationis, de perfecta eorum obser-  
vantia.
7. De sua cuiusque vocatione.
8. De virtutibus, iis præsertim, quæ religiosis  
peculiares sunt, idque juxta gratiam & pro-  
prietatem nostræ vocationis.
9. De vitiis contrariis, non tamen carnis.
10. De morte, iudicio, inferno, paradiso.
11. De judiciis Dei occultis & manifestis.
12. De

12. De miseris mundi, deque periculis eorum, qui in sæculo degunt.
13. De securitate eorum, qui in religioso aliquo ordine vivunt
14. De virtutibus ac religiosa conversatione Patrum ac Fratrum, eorum præsertim, qui vel procul absunt, vel requiescunt in Domino.
15. De his eandem loquendum rebus, quæ possunt simul & relaxare animos, & ad spirituales ædificationem facere.

## EXERCITIUM IV.

## MEDITATIO IV.

*De postremo morbo & obitu S. Monicæ.*

Mortua est Rachel in terra Chanaan, in ipso itinere, eratque vernum tempus. *Gen. c. 48.*

## PUNCTUM I.

**E**Xpende *Monicam* cum filio *Augustino*, bis jam suo, quem & mundo & cælo pepererat, Africam repetentem ad Ostia Tiberina, dum navigandi oportunitatem præstolatur, ad feliciter æternitatis portum desideria direxisse, habito ad fenestram domûs, ex qua liber in hortum patebat prospectus, colloquio dulci de futura vita æterna Sanctorum, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis

nis ascendit. (a) Quo sermone ita fuere affecti, ut carnalium sensuum delectatio, præ illius vitæ jucunditate, non complaratione, sed ne commemoratione quidem digna videretur, quinimò mundus iste eis inter verba vilesceret cum omnibus delectationibus suis, *Monica* comprimis clarè affirmante, nulla re jam se in hac vita delectari, sed ad aliam eamque meliorem anhelare, præsertim ad frugem & orthodoxam fidem converso filio, quod unicè copiosis suis lachrymis precibusque à Deo postulârat. Atque hæc summa erat stupendæ ascensionis, quâ *Augustinus* (b) cum Matre aspiravit ad gaudia vitæ aternæ. „ Transeundæ enim sunt omnes „ creaturæ cum omni decore, pulchritudine, „ suavitæ sua, non solum corporeæ, verùm „ & spirituales. Quod supra illas omnes est, „ nec per ullam imaginem corpoream intelligi „ potest, illud est gaudium Domini, in quod „ intrabunt omnes servi illius boni & fideles. Credi omnino potest, *Monicam* cælestia gaudia tunc anticipatò degustâsse, ad quæ inter paucos dies evolare. (c)

Documenta.

**D**isce, ô Religiose Canonice, à *Monica* moriente. I. Solatia in terra non querere, cum incomparabiliter majora tibi in cælis servantur, etsi illa nonnisi modicè uno ictu cordis & rudi

rudi cogitatione possis attingere. R. P. Gerlacus Petri Daventriensis noster ex Congregatione Windesemensis Canonicus, extremum decumbens atque insuper acutissimis calculi doloribus exagitatus, lubentissimè tamen hosce cruciatus se in hac vita pati asserbat, ut alterius orbis multò atrociora tormenta evaderet. Leniebat quoque dolorem non modicè ingens divini amoris vis, qui in pectore ejus latebat. Quia hos cruciatus augeri cupiebat, si id in Dei honorem & anima salutem Novitii illius, tum decumbenti adstantis ac multum compatiens, cederet. (d)

Disce 2. Vim & efficaciam sacrorum colloquiorum, ut enim colloquia mala, prava & vana corrumpunt bonos mores, (e) sic plane sermones sancti ac pii mirè accendunt hominum mentem ad devotionem, Dei que amorem. Experti id fuere bini illi discipuli in Castellum Emanitium euntes, quorum corda accensa fuerunt unico sermone Christi, explicantis illis intensionem amoris, quo Deus homo factus, funes, flagra, spinas pati, ac tandem mortem ipsam in infami ligno subire pro mortalium salute non detrectavit. Expertus est & Monicæ filius S. Augustinus, sermonibus ac concionibus D. Ambrosii ad meliorem frugem, fidemque Catholicam amplectendam inductus. Certè de Alano nostro Cadurcensi Praesule tradit oculatus testis, author scilicet vita illius, ac à sacris confessionibus, (f) ipsius colloquia,



quia, nil nisi sanctitatem spirasse, finemque illorum fuisse, ut mortales omnes amoris divini flamma succenderet; hinc plures testatos, se nunquam cum ipso egisse, quin ad pietatem & devotionem extimulati fuerint, imò religiosos ejus Canonicos asseverasse, se non minus, si cum ipso congrederentur, quam in oratione fuisse inflammatos.

Disce 2. si animarum saluti procuranda destinatus es, postquam manipulos multos pro viribus in horreum Domini comportasti, nihil ultra te habere, quo in hac vita delecteris. R. P. Ludovicus Moreau Congregationis Gallicanae Canonicus Regularis vir Apostolici zelus, dum ex epidemia, qua premii loco, obsequiosa charitate in nosocomiis illa lue infectis hominibus inserviens, correptus erat? fatali lectulo decumberet, summo viatico, factaque prius generali totius antea vite exomologesi Deo gratias egit pro beneficio sibi impenso, quod ad statum infirmis inserviendi ipsum vocaris: addens se conditionem moriendi in nosocomiis omnibus mundi divitiis ac bonis antepone. (g)

#### PUNCTUM II.

**E**xpende. Monicam correptam feбри novem illius diebus, quibus lecto decubuit, neutiquam desiderasse vitam, quā ad eō in votis habent alii homines, quos morbus aut alia corporis infirmitas obnoxios tenet, longiorem: mori velut grandævus Simxon, completo des-

Q<sub>2</sub>

de-

derio, in conspectu Salvatoris optabat, & quidem extra terram patriam: causam verò ab illis, quibuscum tum temporis de contemptu hujus vitæ, ac bono mortis sermonem miscebat, quos inter *Navigius Augustini frater* erat, scititata, subridens ajebat: *Nihil longè esse à Deo, neque timendum, ne ille non agnoscat in fine sæculi, unde me resuscitet.* (h) Ita nimirum, licet in mariti sui sepulchro humari plurimum desiderârit, ut quos arctissimus amoris nexus jungebat invitâ, idem quoque tumulus sociaret, perfectus tamen ipsius voluntatis cum divina consentus omnem humanæ affectionis sensum extinxit.

### Documenta.

**O** Religiole Canonice, *ô si & in te omnis sensus humani affectus & respectus extinctus, solâque ea tibi vivendi cura esset, non cui tumulo inferatur corpus, an in patrio solo, an in alieno? sed ut optimâ parata anima tua hinc abeat ad terram viventium. Moriendum tibi semel, mors certa, tempus verò ac dies incerta est, oberves ergo omnes dies, ut omnis dies te paratum inveniat. Nescit homo finem suum, (i) an malus vel bonus ei futurus. Quare provideas, ut finis tuus bonum te inveniat. In quo enim statu, ait S. Pater tuus (k) quempiam invenerit novissimus suus dies, in hoc eum comprehendet*

det

det mundi novissimus dies: quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo iudicabitur.

PUNCTUM III.

**E**Xpende. *Monicam* mortem vicinam unicè desiderasse, ut memoria illius apud aram fieret. *Bonite*, inquit (1) *hoc corpus ubicunque, nihil vos ejus cura conturbet. Tantum illud vos rogo, ut ad Domini altare memineritis mei, ubi fueritis.* Exoptabat namque pientissima fœmina id sibi exhiberi, quod noverat avita consuetudine servari in Ecclesia Catholica, ut nimirum in sancto Missæ sacrificio tum Sacerdotes, tum alii, qui eidem interessent, pro defunctorum salute Deo preces offerrent. „Et dispensaretur victima sancta, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis, & triumphatus esset hostis, qui delicta nostra computans, quarit, quid objiciat, nihil inveniens in eo, in quo vincimus. (m) Pompa quippe funebris, agmina exequiarum sumptuosa, diligentia sepulturæ, monumentorum opulenta constructio, vivorum sunt qualiacunque solatia, non adjutoria mortuorum. (n)

Documenta.

**O** Religiose Canonice, cui in altero orbe in expiatoriis flammis plura adhuc Deo, strictissimam observationis votorum, Regula ac Consti-

tuionum, nec non aliarum actionum tuarum rationem exigenti, persolvenda restant, quæ vivens spontaneis pœnis nondum satis eluisti, de lytro tibi prospice, quo debitis hisce exsolvas. Sed quodnam illud? digito id monstrat morum ac vitæ tuæ director Augustinus (o) cujus hæc sunt verba: Adhibeat unusquisque pro charis suis, in purgatorio detentis, Sanctorum preces, sacrificia offerat, & Sacerdotali eos precatione Domino commendet: hæc enim sunt, quæ charos nostros juvare possunt, hæc sunt refrigeria quiescentium, hæc remedia defunctorum. *Et in Enchir.* (p) Negandum non est, defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum sacrificium mediatoris offertur, vel Eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Hoc lytrum providè aternitati premisit nostra Claudia Marchionissa de Moy, Comitissa de Chalignis, appellata soror Maria de S. Francisco. Viro enim orbata, priusquam Ordini nostro nomen daret, Congregationemque S. Sepulchri in Franciam recens induceret, plurima sacra pro pœnarum sibi in purgatorio carcere fortè subeundarum expiatione dicitur curavit, nec parentum suorum, mariti, ac aliorum piorum manium oblita, aequè plura sacrificia pro illis offerri jussit, certis pradiis ac bonis, unde liberales hauriri possent census, hunc in finem applicandis assignatis. (q)

## PUNCTUM IV.

**E**Xpende. 1. *Augustinum* defunctâ suâ pientissimâ matre quarto Maji Anno 389. magnâ affectum fuisse mœstitiâ, non ob aliud utique, quod ipse insinuat (r) quàm quòd ex consuetudine simul vivendi dulcissima & castissima, repentè dirupta, animo vulnus accepisset. Nam quia destituebatur tam magno solatio, faucibatur anima ejus, & quasi dilaniabatur vita, quæ una facta fuerat ex sua & illius. Gaudebat quidem testimonio defunctæ, quod in ea ipsa ultima ægritudine, obsequiis illius interblandiens, *pium* illum appellaverat, & commemorarat grandi dilectionis affectu, nunquam se audivisse ex ore ipsius, jaculatum in se durum & contumeliosum sermonem! Veruntamen fatetur, nihil comparabile habuisse honorem à se delatum matri, & servitium à matre sibi exhibitum. 2. Non minori luctu funeri Avia parentasse *Adeodatum Augustini filium*, qui & ipse in amaras prorupit voces & fletus, à quibus haud destitisset, nisi ab omnibus præsentibus cohibitus, qui tamen ipsi à lachrymis sibi temperare haud potuerunt: quin & *Evodius* arrepto psalterio, exorsus est canendo Psalmum centesimum Davidis, *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine*, cæteris prosequentibus reliquas strophas. Interea dum funeri exportando necessaria parantur, *Augustinus* cum suis

suis disputando luctum ac lachrymas tantisper dissimulando, cohibuit, quas postmodum, dum corpus in D. Andreae sepulchro inferretur, laxatis habenis, copiosè & quantum vellet, effudit, *ut desleret oculis suis exigua parte hora matrem mortuam, quæ ipsum multos annos fleverat, ut oculis Dei viveret.* (s) Neque immemor postremarum precum *matris*, plura sacrificia pro ejus anima offerri curavit, quam & ipse ferventissima oratione Deo commendavit, utque ab aliis idem fieret, submissè rogavit. (t)

### Documenta.

**D**isce, ô Religiole Canonice *ex Augustini lachrymis in obitu Matris suæ fuis, non prohiberi in amicorum & sanguine junctorum obitu luctum foris ostendere*, unde enim fieri potest, *scribit idem S. Doctor:* (u) ut eorum mors nullam nobis ingerat mœstitudinem, quorum nos vita propter amicitia solatia delectabat? quam qui prohibet, prohibeat, si potest, amica colloquia, interdicat amicabilem societatem, vel intercidat affectum omnium humanarum necessitudinum, vincula mentis immiti stupore dirumpat, aut sic eis utendum censeat, ut nulla **ex** eis animum dulcedo perfundat. Quod si fieri nullo modo potest, etiam hoc, quo pacto futurum est, ut ejus nobis amara mors non sit, cujus dulcis est vita. Hinc est enim & luctus qui-

quidam in humano corde, quasi vulnus aut ulcus, cui sanando adhibentur officiosæ consolationes.

Laude dignus est quorundam nostri Canonico-Augustiniani instituti Collegiorum, imò aliarum quoque sacrarum Religionum mos, pro defunctis confratribus suis aliorum Religiosorum ac Ordinum pia implorare suffragia, atque sancta exposcere sacrificia, ut eò citius ex purgantibus flammis extrahantur sui, dum scilicet multiplicantur preces ac placationes hostiæ. Profunt enim, ex mente nostri S. Isidori Hispalensis Episcopi: (w) suffragia defunctis non ad meritum vitæ æternæ, sed ad solutionem pœnæ, & hoc vel ad pœnarum mitigationem, vel celeriores liberationem. Dum rem divinam perageret in ara noster S. Thomas Cantuariensis Episcopus, animæ piaculares voce intelligibili dicebant: Salve Reverende Pater, & benedictus sit sermo oris tui, quia per te sumus à purgatorii pœnis liberata. Quæ verba toties revolutis manibus repetebant, quoties is se ad populum verteret. (z) Venerabili nostræ Catharina à S. Augustino sapius hujusmodi animæ se visendas dederunt, auxilium ipsius flagitantes, quæ ex flammis lustralibus eripia, rediére gratias liberatrici referentes. (x)

(a) Lib. 9. Conf. c. 10. (b) apud P. Henric. VVagnerck S. I. in natis ad e Io. lib. 9. Conf. (c) P. Iacobus Lobetius S. I. in gloria Patriarch. fol. mihi 43. (d) Chron.

Windesf. lib. 2. c. 54. & 55. (e) I. ad Cor. c. 13. v. 33.  
 (f) Leonard. Castinet Can. Reg. lib. 3. c. 18. (g) ex Re-  
 lat. Rotomagi anno 1668. impressa. (i) Eccles. c. 9. v. 12.  
 (k) Ep. 80. (l) lib. 9. Conf. c. 11. (m) eodem lib. c. 13.  
 (n) S. Aug. Serm. 32. de verb. Apost. (o) Serm. de Cath.  
 Petri. (p) apud Laur. c. 109. (q) Hilarius à Costa Mi-  
 nimus in Elogiis Ducissarum. Decessit Maria à S. Fran-  
 cisco. 3. Novemb. Anno 1626. (r) lib. 9. Conf. cap. 12.  
 (s) ibidem. (t) lib. 9. Conf. c. 13. (u) lib. 19. de Civit.  
 c. 8. (v) lib. 2. de Offic. Eccles. c. 18. (z) Messret serm.  
 de animab. purg. (x) Author vitæ n. 18.

## EXERCITIUM V. MEDITATIO V.

*De Lachrymis S. Monicae.*

Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas,  
 4. Reg. 20. v. 5.

### PUNCTUM I.

**E**Xpende. Lachrimarum rivulos ex oculis qui-  
 dem ceu fontibus scaturire, earum tamen  
 non esse eandem sed diversam originem. Has  
 enim aliqui fundunt, ante signano magno *Au-*  
*gustino*, præ gaudio, uti R. P. Arnoldus War-  
 wik, ex Congregatione nostra Windesfemensis,  
 qui cogitans de Cœlitum nunquam finienda  
 gloria præ gaudio lacrymabatur, ceu eandem in  
 hac vita constitutus prælibaret, (a) Alii præ ani-  
 mi dolore ob peccata commissa, uti æquè *S. Le-*  
*gis.*



gislator noster, cujus hæc verba, (b) *Ubi alta consideratione contraxi, & congeffi miseriam meam in conspectu cordis mei, oborta est procella ingens, faciens ingentem imbrem lacrymarum.* Vel ob mortem charorum, ut idem S. Doctor noster defuncta charissima matre sua *Monica*, quæ ipsam multos annos fleverat. Cujus est digna notatu sententia. (d) *Permittantur pia corda charorum de suorum mortibus contristari morte sanabili, & consolabiles lacrymas fundant conditione mortali, quas citò reprimat fidei gaudium, quæ creduntur fideles, quando moriuntur, paululum à nobis exire, & ad meliora transire.* Qui S. Pater noster etiam orationes tuas, quas ferventi corde ad Deum fundebat, lacrymis condiebat, ita enim de se testatur. (e) *Ego illacrymans multa oravi.* Aliquibus tenerrimus erga Deum amor lacrymas exprimit: *Impotens est enim amor, nec lacrymis modus fit, nisi amori detur, quod amatur.* (f) Tales fuere ex nostris S. Joannes Bridlingtoniensis Archimandrita, B. Hartmannus Episcopus Brixinensis, B. Joannes de Barastra Abbas S. Eligii apud Atrebatum, qui dum ad aram incruentum sacrificium altissimo litarent, à lacrymis sibi minimè temperare potuerunt, imò Henricus Manden Congregationis Windesemensis Canonicus Regularis, dum sacro interesset, aut Eucharistiam sumeret, ita lacrymis indulgit, ut iisdem Chori pavementum

ac

ac vestes ejus inundarent, unde manu strophium pro ejusmodi amoris stillulis abstergendis deferre consuevit, (g) quam gratiam sibi à Deo concedi postulavit *Augustinus*, dum eundem ita precatur, (h) *Præsta mihi gratiam, ut quoties de te cogito, de te loquor, de te scribo, laudes, preces, & sacrificium offero, toties obortis lacrymis in conspectu tuo copiosè & dulciter fleam.* Flevit porrò *Augustinus* in horto amarissima contritione cordis sui *erumpentibus fluminibus oculorum suorum, acceptabili sacrificio Dei*, (i) flevit, dum Parochus Hipponensis & animarum curio à Valerio Episcopo inauguraretur. Flevit uberrimè in Hymnis & Canticis suave sonantibus Ecclesiæ vocibus vehementer affectus. (k) Flevit, dum urbs Hipponensis ab infensis hostium armis impeteretur, inter quæ mala, ut canit Ecclesia, *Augustino* erant lacrymæ suæ panes die ac nocte. (l) Moriens denique lacrymas fudit, non mortis timore perterritus, sed cœlestis patriæ, ac quam anhelabat, desiderio illectus. Alii alias ob causas lacrymis habenas laxarunt. S. Gilbertus Sempinghamiensis noster in rerum divinarum meditatione tam copiosas lacrymas fundebat, ut ex illarum abundantia cæcus redditus fuerit. P. Marcus Rizonus ex Congregatione Lateranensi, quoties de B. Virgine, aut de Christi passione differeret, præ dulcedine & compassione in lacrymas prorump-

pebat. Imo P. Cambio Bossio, & P. Seraphino de Torrefinis ejusdem Lateranensis cœtus Canonici Regularibus sola recordatio Christi patientis, & Deiparæ Virginis lacrymas exprimebat. (12.) Certè R. P. Petrus Forerius noster dono lacrymarum à Deo ornatus, præterquam quod ad aram faciens plorârit sæpius, etiam flevit, dum durantibus matutinis precibus, sub mediam Nativitatis Christi Vigiliæ noctem cantari solitis, mysterium illud alta mente recogitaret, atque de eodem ad suos Canonicos verba faceret, cùm ad Deiparam preces funderet, dum in passione Domini verba illa: *Dimitte nobis non hunc, sed Barrabam*, vel ipse legeret, vel ab alio legeretur, cùm Deum offendi audiret, dum in Generalem Congregationis Salvatoris nostri à se erectæ, eligeretur. Manabant verò ipsius lacrymæ subinde tam uberes, ut tertium mutanda fuerint sudariola, ita nonnunquam madefacta, quasi ex profluente fuissent extracta. (m)

## PUNCTUM II.

**E**xpende. *Monica* lacrymas non mendaces aut fucatas, quales plerumque mulierum ad lacrymas natarum esse solent, quæ abundantes licet sint, ex sicco tamen pectore & arenti corde procedunt, sed veras ex justo motivo profectas. Flevit illa, non ut prolem acquireret, ceu Anna Samuelis mater (n) utpote matrimo-  
nii

nii fructu jam à Deo donata. Ploravit, non ob filiorum mortem temporalem, uti mulier illa Naimitica (o) cùm nullus illorum vitam amiserit. Flevit non ob fortunæ adversam aleam aut famæ jacturam, uti Susanna adulterii falsò accusata. [p] Ploravit verò, & copiosà lacrymas diu noctuque fudit, quod *Augustinum* filium haberet, donis quidem naturæ ac perspicaci ingenio instructum, sed Manichæi erroribus infectum, vitiorumque, libidinis præsertim, cœno immersum. Verbo, Dei inimicum ac orco destinatum victimam, ni salutaribus baptismi aquis ablutus vitam in meliùs mutaret. Flevit, quia stitabat salutem filii sui, & quem priùs, non sine dolore, mundo pepererat, charitatis visceribus multo lacrymarum semine, Ecclesiæ & Christo gignere cupiebat. Flevit, & quidem irremediabilibus lacrymis, ut visitaret Deus filium suum Oriens ex alto, & illuminaret eum, qui in tenebris & umbra mortis sedebat. Describens has pro se à matre profusas lachrymas gratissimus filius, eas fuisse asserit 1. copiosas, *ut profluentes rigarent terram sub oculis ejus in omni orationis ejus loco*, [q] 2. frequentes. *Non desinebat*, inquit, [r] *horis omnibus orationum suarum de me plangere ad te.*

## PUNCTUM III.

**E**Xpende. Efficaciam lacrymarum quodlibet à Deo obtinendi. Oravit Dominum fletu lar-

largiter Anna uxor Elkanæ, [s] & aufertur ab ea sterilitatis opprobrium, paritque Samuelem. Ingemuit Tobias & Sara filia Raguelis, [t] cœperuntque orare cum lacrymis, & mittitur eis Angelus Raphael, qui ambos curaret. Dei indulgentiam fufis lacrymis Juditha postulavit, [u] & quidquid in animo habuit, afsecuta est. Ad mortem decumbentis Regis Ezechia preces audiens, lacrymasque videns Deus, eidem & viram & sanitatem annis quindecim prolongavit. Fleverunt amarè David & Petrus, atque ambo veniam peccatorum fuorum impetrârunt, hic perjurii, alter adulterii & homicidii. Luxit ad pedes Domini Magdalena, quos lacrymis fuis rigavit, meruitque audire: *Dimittuntur tibi peccata tua.* [w] Flevit vidua Naimitica ob defunctum unicum filium fuum, quem vespiliones ad tumulum jam humeris exportabant, & vivum illum recepit, misericordiâ moto Christo super lacrymas illius. [x] *Dono lacrymarum à Deo donata Clementia Van der Strepen Canonica Regularis ac Præposita ad S. Petrum Bruxellis, iisdem viventes æquè morientes adjuvit.* [y] O felices lacrymæ, quæ Deum vincitis, & justum offensæ Deitatis furorem cohiberis! Verè dixit ore, & calamo scripsit aureus Orator Constantinopolitanus: [z] *Nemo ad Deum flens aliquando accessit, qui non, quod postulavit, acceperit: nullus ab eo beneficia*

cia

cia dolenter optavit, qui non impetravit: Ipse enim est, qui consolatur fientes, dolentes curat, pœnitentes informat. Flevit & *Monica*, sed quis tantarum lacrymarum fructus? *Augustinus* ad veram fidem conversus. Hanc gratiam miserabilibus flebilibusque suis gemitibus a Deo petebat. [aa] Hanc nequaquam delusa, spe sibi à quodam Africæ Episcopo facta, fieri scilicet non posse, ut tot lacrymarum filius periret, copiosè obtinuit, cùm filium suum non modò Christianum Catholicum, sed & contempta felicitate terrena, servum Dei adhuc vivens videret. [b] Verè proinde *Monica* à sancta Ecclesia bis *Mater Augustini* appellatur, idipsum & bis *Filio Augustino* gratâ memoriâ affirmante. [cc] *Accipe Confessiones meas*, inquit, & gratiarum actiones Deus meus de rebus innumerabilibus, etiam in silentio. Sed non præteribo, quidquid mihi anima parturit de illa famula tua, que me parturivit & carne, ut in hanc temporalem & corde, ut in æternam lucem renasceret. Cujus ad hæc sunt verba: [dd] *Satis eloquor, quid erga me habebat animi, & quantum majore sollicitudine me parturiebat spiritu, quam carne pepererat. O fecundas lacrymas! Sed quis porrò illarum effectus? Augustinus ex Manichæo Christianus: Augustinus ex carnis mancipio Dei servus. Augustinus ex inani Philolopho orthodoxæ Ecclesiæ sanctus Doctor.* *Augustinus*

ex

ex mundi amatore Apostolicæ communis vitæ  
 sectator: *Augustinus* vitæ Regularis in Africa  
 restaurator: *Augustinus* cœlestis patriæ inhabi-  
 tator, *ubi jam, quod sitivit internum, gustat*  
*eternum, decoratus una stola, securusque de re-*  
*liqua, uti de illo canit Ecclesia. (ee)* Verbo:  
*Augustinus*, & quidquid habet in *Augustino* Ec-  
 clesia, quidquid orbis, quidquid scholæ, quid-  
 quid *Ordo Canonicus*, quidquid aliæ sub magni  
 hujus Ducis signo stipendia merentes *Religiosa*  
*Familia*, quidquid sub tanti Legislatoris *Regu-*  
*la*, militantes Deo adscripti *fili*, quidquid do-  
 cti, qui ejus omni doctrina refertissimos legunt  
 libros, quidquid pii, qui ejus sanctissimas imi-  
 tari student virtutes, id omne fructus uberri-  
 mus lacrymarum est *Monica*. O fertilissimas  
 lacrymas! ô pinguiissimos harum stillarum fru-  
 ctus!

## PUNCTUM IV.

**E**xpende. Reliquas prærogativas ac excellen-  
 tias verarum lacrymarum. 1. Eæ sunt præ-  
 stantissimum, inò subinde unicum remedium  
 hominibus in gravi afflictione constitutis con-  
 tra superbissimos animæ hostes, quo uno defi-  
 ciente reliqua omnia quasi inania & enervata  
 videantur. Unde Joannes Climacus dicere au-  
 sus fuit, (ff) *Lacryme nisi divinitus data essent,*  
*pauca essent, qui salutem consequerentur.* 2.  
 Deum iratum placant, Niniæ grandis illa ci-

R

vi-

vitas certò certius funditus eversa fuisset, ni in fontium puerorum & infantium, quorum centum viginti millia numerabantur, lacrymæ, singultus, & miserabiles ejulatus obstitissent, quorum virtute in tantum Dei furor constringebatur, ut civibus illis pepercerit. Unde Ambrosius, (gg) *Non sufficiebat ad placandum Deum peccantium satisfactio, nisi seniorum peccata parvulorum innocentia deploraret.* 3. Orationes nostras ac eleemosynas, à quibus decorem ac dignitatem accipiunt, Deo gratiores reddunt. *Holocaustum siccum*, inquit S. Gregorius (hh) *est bonum opus, quod orationis lacryma non infundunt. Holocaustum pingue est, quando hoc, quod bene agitur, corde humili etiam per lacrymas irrigatur.* Oratio, scribit Hieronymus, (ii) *Deum lenit, lacryma cogit, hæc ungit, illa pungit.* Hæc duo sunt brachia, *Lacryma & Oratio*, hi validi lacerti, quibus Jacob Deum ipsum in agone superat, & quam expetit benedictionem, extorquet. (kk) O robustissimas lacrymarum vires, ô invincibilem potentiam! 4. Ipsas sempiternas Erebi flammæ, tartareaque incendia, si ea attingerent, restinguerent, testante id Petro Chrysologo, (ll) *Quanta vis est, ait, in lacrymis peccatorum: Rigant cælum, terram diluunt, extinguunt gehennam.* Imò paraphrasis Caldaica apud Gebrardum, locum illum, Psalmi 83. *Beatus vir,*



vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, hoc modo explicat: Peccatores, qui transeunt per profundum gehennæ, flentes fletu sicut fontem ponent illud, quasi diceret, si damnatis gehennam patientibus darentur lacrymæ, absque dubio non tantum voraces flammarum globos extinguerent, sed earum beneficio ardentem quoque fornacem in locum irriguum & amœnum, quasi ex perenni fonte converterent. Imò diabolus, teste Petro Cellensi per exaggerationem scribente, (mm) suam tolerabilius sustinet flammam, quàm lacrymam nostram: acrius contriti cordis lacrymâ, quàm flammâ infernalis incendii torquetur: Rationem dat P. Joan. Rudolphus Corduba è Soc. Jesu (nn) quia si lacrymæ damnatis concederentur, solveretur tartarus, rueret totum damnis imperium. Damnati quoque in Beatos, earum beneficio, repenti transirent. Certè lacrymæ tales, teste D. Chrysostomo (oo) quales erant Davidis, ipsum etiam gehennæ ignem nôrunt extinguere. O miram lacrymarum vim! s. Nulla sermonis voce, nullo sono aut spiritu animatæ efficaciter clamant, & efficacissime negotiantur, juxta vulgarem sacrarum litterarum phrasin: *Exaudivit Dominus vocem fletus mei.* (pp) *Auribus percipe lacrymas meas.* (qq) Unde hæc S. Augustini (rr) ad Deum, veritatem hanc confirmantia verba: *Ipsa lacryma*

tuum in me testentur amorem: ipsa prodant, ipse loquantur, quantum te diligit anima mea, dum præ nimia dulcedine amoris tui nequit se à lacrymis continere. 6. Tanti sunt valoris ac pretii, ut Christus ipse sanguini suo eas superaddendas ad humani generis redemptionem & Patris iram emolliendam duxerit, & qui divino cruori satis fiderat ad perficiendum Redemptionis opus, lacrymarum tamen virtutem atque efficaciam adjunxerit. Nam ut D. Paulus, (II) annotavit, in cruce pendens morti proximus, cum clamore valido & lacrymis sese Deo Patri pro nobis obtulit. Denique Hieronymus [tr] Martyrio & baptismo lacrymas conferens, & utriusque illas habere virtutem, in Chanaa, inquit, convertit Christus aquam in vinum, in morte effluxit aqua, ut significaret, virtutem abluendi sacri baptismi & martyrii, quorum virtutem concessit aquis lacrymarum. O eximium lacrymarum encomium! miram dignitatem! inestimabile meritum! insignem prærogativam!

#### Documenta.

**O** Religiose Canonice, qui in hanc lacrymarum vallem ingressus, primam omnibus communem edidisti vocem Plorans, ac cui quasi congenita sunt lacryma, constitutus modò in monasterio, quod D. Chrysostomo [uu] domus lugendi est, noli oblivisci prima vocis tuae, fluant ex gemi-

minis oculorum tuorum fontibus saluberrimi lacrymarum rivuli. Multas enim atque multiplices in presenti vita lacrymandi causas habes, sive te ipsum intuearis, sive proximum, sive locum exilii, in quem projectus es, sive patriam celestem, à qua excidisti, sive denique momentum, quo nunc vivis, sive praterita aut futura contempleris. Lacrymas tamentuas non extorqueat damnum vel commodum temporale, sed amor Dei super omnia. Illa enim lacryma sunt delicatissima particula cordis, quæ à flamma latentis Charitatis eliquata, elevantur in altum, in oculos, à quibus stillant. Lacryma ex amore profecta, licet in se sint falsa & amara, Deo tamen sunt suaves, quia mustum amantium, & si Augustino [ww] Soror amoris dulcedo est: dulces quoque sunt. Quid enim dulcius lacrymis charitatis, inquit Doctor mellifluus, [xx] Dulciores certè sunt ex sententia S. P. N. [zz] lacrymæ orantium quàm theatrorum. Dolor quoque de prateritis peccatis fontem lacrymarum referat. Gratissimum spectaculum fit Deo & Angelis, cum aliquis peccator ex agnitione scelerum in suavissimas lacrymas resolvitur. [a 3] Tristitia nobis data est, inquit S. Chrysostomus, [b 3.] ut doleamus, non de morte aut alia re, sed tantum de peccato, ibi enim solum utilis est tristitia, cum alibi sit inutilis. Nec enim dolendo possum mortuum suscitare, aut rem

amissam revocare, sed tantum gratiam peccato amissam, dolendo ac poenitendo possum recuperare. Peccata nostra, *juxta eundem S. Doctorem*, [c 3.] in libro scripta sunt, spongiæ autem instar sunt lacrymæ afflicti cordis: lacrymas mitte, & oblitterantur, lacrymas mitte, & purus hic liber invenitur. *Cura proinde, ut tibi een Davidi* cibus ac panis tuus sint lacrymæ die ac nocte, [d 3.] Potus etiam tibi detur in lacrymis in mensura. [e 3.] *Atque uti ortus tui prima voces fuerunt lacrymæ, ita occasus tui postrema quoque voces sint lacrymæ doloris & amoris.* Movebitur certè dein, *S. Ambrosio teste*, [f 3.] misericordia Dei, cum viderit in obitu tuo lacrymas. *Quod lacrymarum donum, ut à Deo tibi concedatur, Aviam tuam Monicam implora, efficaces non minùs erunt preces illius in cælis, quam olim lacrymæ in terris.*

(a) Ioan. Buschius *Can. Reg. in Chron. VVindes. lib. 2. c. 22.* (b) *lib. 8. Conf. c. 12.* (c) *ibidem.* (d) *de verb. Apost. Serm. 32. c. 2.* (e) *lib. 3. de Ord. c. 3.* (f) *lib. 2. soliloq. c. 1.* (g) *Chron. VVindes. lib. 2. c. 44.* (h) *lib. med. c. 36.* (i) *lib. 8. Conf. c. 12.* (k) *lib. 9. Conf. c. 6.* (l) *in Offic. S. Aug. ad Benedictus. (12.) Celsus Rosinus Can. Reg. in Lyceo Lateranensi lib. 3. & II.* (m) *lib. 2. vite c. 20.* (n) *I. Reg. 1.* (o) *Luc. 7.* (p) *Daniel. 13. c.* (q) *lib. 3. Confess. c. 11.* (r) *lib. 3. Conf. c. 12.* (s) *I. Reg. 1.* (t) *cap. 3.* (u) *cap. 8.* (vv) *Luc. 7.* (x) *ibidem. Buzelius 3. part. Germ. sac. obiit Clementia Ann. 1632.* (y) *hom. 13.* (aa) *lib. 9. Conf. c. 1.* (bb) *ibidem c. 14.*

6. 10. (cc) *ibidem* c. 8. (dd) *lib. 5. Conf. c. 9.* (ee) *in Offic. S. Aug. in Ant. ad Magnif. in 2. Vesp.* (ff) *apud Eliam Cretensem in orat. Nazianzeni de Gorgonia.* (gg) *in cap. 3. Iona.* (hh) *in Psal. 20.* (ii) *in Isaiam.* (kk) *in Gen. c. 32. v. 16.* (ll) *Serm. 93.* (mm) *lib. de pan. c. 12.* (nn) *in lib. 2. Reg. c. 1. v. 10. instit. 1. n. 10.* (oo) *in c. 16. Luc.* (pp) *Psal. 6. v. 9.* (qq) *Psal. 38. v. 9.* (rr) *in Medit. c. 36.* (ss) *ad Hebr. cap. 5. v. 7.* (tt) *Epist. 83.* (uu) *hom. 59. ad pop.* (vvvv) *apud P. Franc. le Roy S.I. in occup. anima. fol. mihi 739.* (xx) *Serm. 58. in Cant.* (zz) *in Psal. 8. (a 3.) R.P. Pinna. (b 3.) hom. 3. ad pop. Antioch. (c 3.) hom. in Psal. 50. (d 3.) Psal. 41. v. 4. (e 3.) Psal. 80. v. 6. (f 3.) lib. 1. de poenit. cap. 7.*

## CULTUS III.

### *Sanctis Canonicis Regularibus inscriptus.*

#### EXERCITIUM I.

#### MEDITATIO I.

#### *De sanctis Martyribus.*

Beati, qui lavant stolas suas in sanguine Agni.

*Apoc. c. 22. v. 14.*

#### PUNCTUM I.

**E**xpende. Eximiam *Martyrum* excellentiam, quam juxta *S. Augustini* doctrinam, [a] verbis nemo satis explicaverit, cum eodem teste,

R 4

[b]

[b] in Ecclesiis locum summum teneant, atque apice sancta dignitatis excellant. Esse verò Martyrem idem est magno Doctori nostro, [c] quod esse testem, Martyrium verò idem est, quod testimonium, scilicet divinitatis, Deum esse trinum & unum, Jesum Christum esse Filium Dei, Deum & hominem, mundi Redemptorem, Evangelium esse veram legem & Religionem, ac similia aliarum veritatum, quas gentilitas non credebat. Ad ista comprobanda Dominus Martyribus ceu testibus est usus, juxta illud Isaïæ, [d] *Vos testes mei, dicit Dominus*, idque non solum verbis, sed jacturâ rerum omnium, tormentis & morte. Unde pulchrè S. P. N. [e] *Ipsi Martyres, fidei Christi Martyres, id est, hujus fidei testes fuerunt, huic fidei testimonium perhibentes, mundum inimicissimum & crudelissimum pertulerunt, eumque non repugnando, sed moriendo vicerunt.*

## PUNCTUM II.

**E**Xpende. *Martyrum* felicitatem: licet enim videantur omninò destituti à mundo, relictî tyrannorum furori, spoliati bonis hujus terræ, crudeliter excarnificati usque ad mortem, quasi non amentur à Deo atque curentur, felicissimi tamen sunt, quod honores omnes, voluptates, divitias à Tyrannis oblatas contemnere, tormenta pro Christo subire, atque in iisdem solis gaudere possint. Quod certo argu-  
men-

mento est, majus aliquod ibi latere bonum, oculis mundi & sensui carnis quidem celatum, non tamen Martyrum, quorum animæ mediis in cruciatibus satiabantur, & acquiescebant. Non parva etiam felicitas est, perdere in hac vita, quô homo asseratur æternitati beatæ, cuius bonum longè superat Martyrum cruciatus, juxta illud D. Pauli, (†) *Non sunt condigne passionibus hujus temporis ad futuram gloriam promerendam.* Unde S. Augustinus, (g) *Quanta mala passi sunt Martyres, quanta exitia, quanta tormenta, squalorem carcerum, stricturam catenarum, sevitiâ ferarum, ardorem flammarum, aculeos contumeliarum? Ista omnia passi sunt propter sempiternam felicitatem. Certè sine Deo non vinceret Martyr, inquit idem S. Pater.* (h)

## PUNCTUM III.

**E**xpende. I. Quàm gloriosos fecerit Deus in terra *Martyres*: Grandis enim gloria est, creaturam tam fragilem, qualis est homo, constantiorem ac fortiorem esse viribus omnium tyrannorum, omni potentia Imperatorum, omnibus crudelissimorum tormentorum machinationibus, non honoribus, non bonis, non amore hujus vitæ, non affectu parentum & propinquorum, non voluptatibus à fidei confessione dejici potuisse: Ad hæc quidquid in mundo pulchrum erat & optabile, virtuti ejus concessisse.

fisse. Mortem etiam natura tam formidabilem, imò tam violentam, ab homine desiderari, quæri, in pretio haberi & beneficio, id profectò non hominum viribus, sed singulari prorsus Dei virtuti adscribendum esse sensit *S. Augustinus*, scribendo, (i) *Laboraverunt Martyres, & nisi Deus adesset, utique defecissent.* Unde & Martyrum constantiam considerans exclamat, (k) *Quam magna constantia Martyrum! quam bona fides Sanctorum, qui pro Christi nomine multa tormenta libenter suscipiebant: & tamen eadem tormenta contemnendo, in suis persecutoribus diabolum superabant.* Expende 2. Alteram gloriam, qua Deus suos *Martyres* in hac vita ornavit, ut scilicet illorum sanguis semen esset novorum Christianorum, & uno mortuo converterentur multi, cresceret Ecclesia, propagaretur Religio. „ Occisi sunt, inquit magnus „ *Augustinus*, (l) Martyres ad multiplicandam „ Ecclesiam. Valuit sanctus sanguis effusus se- „ minationi. Accessit mors Martyrum, & mul- „ tiplicati sunt magis magisque Christiani. „ Et alio in loco, (m) „ Effusus est magnus & „ multus Martyrum sanguis, quo effuso tan- „ quam seminata seges Ecclesiæ fertiliùs pullu- „ lavit, & totum mundum, sicut nunc conspi- „ cimus, occupavit. „ Plures adhuc sanguinis Martyrum fructus recensens *S. P. N.* „ Purpu- „ rata est, scribit, (n) universa terra Martyrum lau-



„ sanguine, floret cælum coronis Martyrum,  
„ insignita sunt tempora Natalibus Martyrum,  
„ crebrescunt sanitates memoriis Martyrum.

PUNCTUM IV.

**E**Xpende. Virtutum actiones, quas *Martyres*  
in sua passione exercuerunt. Imprimis *Fidei*,  
quâ neglectis rebus terrenis, relinquebant  
omnia pro æternis: *ne fidem*, ut scribit *S. Aug-*  
*ustinus*, (o) *amitterent Martyres, propria con-*  
*tempserunt*. Et alio in loco, (p) *Martyres nos-*  
*tri sanguinem suum propter credita & nondum*  
*visa fuderunt*. 2. *Spei*, quâ perdendo hanc vi-  
tam mortalem consequi sperabant æternam.  
„ Sperabant in Deum Martyres, *verba sunt S.*  
„ *Legislatoris nostri*, (q) & tamen talia passi  
„ sunt, qualia latrones iniqui, subjecti ad be-  
„ stias, ignibus concremati, gladio percussi, un-  
„ gulis lacerati, catenis obstructi, carcere neca-  
„ ti. Ista omnia mala passi, nonne sperabant  
„ in Dominum? aut ided sperabant, ut istis  
„ malis carentes, hac vita fruerentur? non pla-  
„ né, quia sic à vigilia matutina sperabant.  
„ Quid est hoc? Considerabant illam vigiliam  
„ matutinam, quâ resurrexit Dominus eorum,  
„ & videbant, quia antequam resurgeret, talia  
„ & ipse passus erat, qualia & ipsi patiebantur,  
„ & non desperabant, etiam se post tales passio-  
„ nes resurrecturos ad vitam æternam. „ 3.  
*Charitatis & amoris Dei*, monstrando factis,  
illum

illum dignum esse, cui seruiatur, etiam mortem obeundo. De hoc *Martyrum* amore pulchrè *Hipponensis Præsul*, sancti amoris flammâ, inquit, (r) ardentès *Martyres* fœnum carnis robore mentis arserunt, *Ipsi autem integri in spiritu, ad eum, quo accensî sunt, pervenerunt.*

4. *Abdicationis rerum omnium terrenarum*, spernendo omnia, & relinquendo etiam vitam pro Christo Domino. *Divitias interiores habuerunt Martyres*, verba sunt magni *Augustini*, (s) qui pro veritate ac fide Christi, omnes minas sæculi contempserunt. Non erat eis pro salute, pugnare, nisi salutem pro Salvatore contemnere. (t) 5. *Patientia*, omnia scilicet magno animo & hilariter ferendo, non indignando suis tortoribus, non quiritando, sed amicè colloquendo, imò pro iisdem orando, ac alia bona præstando, juxta illud *Doctoris Augustini*, (u) *Consilium sedentium Principum* fuit, *inventos Martyres perdere, consilium patientium Martyrum* fuit, *inimicos perditos invenire. Reddebant illi mala pro bonis, isti bona pro malis, quid ergo mirum, si illi occidendo defecerunt, isti moriendo vicerunt.* O pretiosam in conspectu Domini Sanctorum mortem! O gloriosam victoriam!

Documenta.

**D**isce, ô Religiose Canonice, *Martyres imitari, si non fundendo sanguinem, equâ salutem*

tem mente carni adversa ferendo, atque illa, qua Deo placent, in tuo statu, in tuo corpore, & in tuo spiritu, ab ejus manu gratanter acceptando, contraria illa licet sint genio tuo, atque palatui minus sapida. Martyrem te, sectando justitiam, proba. Nam teste S. Patre tuo. (w) Quicumque pro veritate testimonium dederit, & omnes causas cum justitia judicaverit, quidquid pro testimonio veritatis vel justitiæ pertulerit, totum ei Dominus pro Martyrio computabit. Neque enim soli illi Martyres censetur, quos tyrannorum immanitas persequitur, aut neci cruenta per varia tormenta dat, sed etiam qui hostem domesticum Carnem castigant, & in servitutem cum Apostolo redigunt, vitiis bellum indicunt, eaque radicitus evellunt. Habet pax nostra Martyres suos. Martyrium nempe, ex sententia Africani Præfulis, (z) non solum effusio sanguinis consumit, nec sola dat palmam exustio illa flammaram. Pervenitur non solum occasu, sed etiam contemptu carnis ad coronam: absque defunctorum Sanctorum injuriâ dicere liceat, carnem afflixisse, libidinem superasse, avaritiæ restitisse de mundo triumphasse, pars magna martyrii est. Tria quoque Religiosa vota, ut alias quotidianas austeritates atque suis abnegationes missas faciam, Religiosum Martyrem faciunt. De paupertate quidem Doctor mellifluis ita pronuntiavit: (aa) Quid sibi vult, quod

quod eadem promissio facta est pauperibus & martyribus? nisi quia verè martyrii genus paupertas voluntaria est. *Castitati nomen & prerogativam Martyrii, præter S. Augustinum modo relatum, adscribit D. Hieronymus his verbis: (bb) Habet pudicitia servata martyrium suum, Obedientia denique, quâ voluntatem propriam immolamus, ut durissimum, sic & illustrissimum Martyrii cujusdam nomen attribuit V. Thomas Kempensis noster, (cc) O dilecti fratres, qui in religione sub obedientia statis, si fideliter impletis, quod vovistis, Martyres estis, aut adhuc quotidie patiendo fieri potestis: nam toties novas coronas & margaritas pretiosas pro certamine vestro accipietis, quoties singula membra vestri corporis quotidianis laboribus pro Christo exponitis. Omnis Religiosus in obedientia vivens, paratus suam voluntatem frangere; atque Prælato suo nitens obedire, iste veraciter in spiritu Martyr efficitur, quamvis materiali gladio in collo non feriat. Imò non solum Religiosorum vita ad amissim Regula & Constitutionum particularium peracta quotidianum S. Hilario (dd) est martyrium, sed tota vita Christiani hominis, si secundum Evangelium vivat, Crux est & Martyrium Præsuli nostro Hipponensi, (ee) horrore quidem mitius, sed diurnitate molestius, ut loquitur Clavallensium Abbas Bernardus, (ff) nostro autem*

*Ala.*

Alano mors est continua. [gg] Qui singularis prorsus in hoc spiritualis Martyrii genere illuxit, quod statum holocausti appellare consuevit, ultra quem in hac vita à mortali homine tendi non potest, quem proinde & ipse, Non plus ultra, nominavit. Moriebatur autem perfectè sibi ipsi, sanguineis, aliisque rebus creatis, imò toti mundo, quem non pluris quàm festucam faciebat, eò demum pertingens, ut in summa sui omniumque creaturarum oblivione viveret, ad eas tam parùm attendens, quàm si non existerent. Annihilationi sui ipsius ad majorem Dei gloriam studens, integras nonnunquam horas in hoc suum nihilum absorptus insumebat, maximè dum Servatorem nostrum vel in praesepio positum, vel in cenaculo ad Iudæ proditoris pedes prostratum, vel in monte Calvaria à Patre suo derelictum, vel in sanctissimo Altaris Sacramento presentens considerabat. His nondum contentus, Creatori suo per modum doni se sexcenties per diem consecrabat, suarùmque actionum sacrificium offerebat, atque si penes ipsum stetisset, totum illè mundum sacrificasset. Verbo, omnes totius dicè actiones ipsius eò tendebant, ut cunctæ essent altissimi sacrificia, adeò quidem, ut & corporis afflictiones & austeritates, quæ initio Conversionis suæ erant actus virtutis Pœnitentiæ, efficerentur actus religionis. Ad horum Martyrum classem jure spectant illi omnes, qui cum

Tar-

*Tarsensi Paulo carnem suam cum concupiscentiis crucifixere, & adhuc crucifigunt, juxta illud D. Augustini. [hh] Interioris hominis crucifigione, pœnitentiæ dolores intelliguntur, & continentia quidam salubris cruciatus, per quam mortem mors impietatis perimitur.*

(a) *Serm. 6. de Mart. (b) in Psal. 67. (c) Serm. 32. de Sanct. (d) c. 43. (e) de Civit. lib. 22. c. 9. (f) ad Rom. c. 8. (g) in Psal. 127. (h) Serm. 42. de Sanct. (i) Psal. 69. (k) Serm. 38. de divers. c. I. (l) in Prefat. ad Psal. 40. (m) in Psal. 38. (n) in Psal. 118. con. 30. (o) in Psal. 52. (p) in Psal. 88. Con. I. (q) in Psal. 129. (r) ex Serm. 31. à Sirmundo add. (s) Serm. 212. de temp. (t) lib. 22. de Civit. cap. 6. (u) in Psal. 118. Con. 9. (vv) Serm. 232. (z) Serm. 46. de Sanct. (aa) Serm. I. de Omn. SS. (bb) Epist. 8. (cc) Ser. II. ad Novit. (dd) orat. de S. Honorat. (ee) Serm. 32. de Sanct. (ff) Serm. de Cæn. Dom. (gg) lib. 3. vita c. 24. (hh) de Trin. lib. 4. cap. 3.*

## EXERCITIUM II. MEDITATIO II.

*De sanctis Confessoribus.*

Posui vos, ut eatis, & fructum afferatis. *JOAN.*  
c. 15. v. 16.

### PUNCTUM I.

**E**xpende. Licet persecutionis tempore olim omnes Christiani *Confessores* appellati sint, quia Christum constanter quâ verbis quâ factis confite-

fitabantur, speciali tamen modo condecorari hoc titulo eos, qui Deum in terris confessi sunt, corde, ore, opere. Corde quidem, credendo illum esse principium, finemque rerum omnium: Ore, laudando illum, cui debetur omnis honor & gloria, mutila enim & imperfecta est Confessio cordis sine confessione oris, juxta illud Paulinum, (a) *Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* Opere tandem, virtuosè conversando, ut verbis actiones respondeant. *Vera confessio*, inquit S. Pater noster, (b) *est benedictis: cum idem sonus est & oris & cordis: bene autem loqui & male vivere nihil aliud est, quam se sua voce damnare.* Et alibi (bb) *Si laudas bonas vitam, & te non corrigis, contra te testis es.*

PUNCTUM II.

**E**Xpende. Sanctos Confessores in divinis litteris comparari diversis rebus, scilicet *sali terra, luci mundi, lucernis ardentibus, civitatibus supra montem positis*: Singula ponderanda I. *Sali terra.* Salem quidem apud Isidorum Hispalensem nostrum (c) idè dictum putant, *quod in igne exiliat.* Plinio (d) natura salis est mordens, adurens, repurgans, extenuans, exsiccans. Ita planè pulchrâ Metaphorâ Confessores extiterunt *Sal terra*, quia ignea sua vi homines amore Dei accenderunt, & aquea sua suavolentia ac sapientiam ceu terram aridam humectant.

S

runt,

runt, irrorarunt, fœcundarunt, ut fructus bonorum operum proferrent. *Confessores* insipidas & fatuas hominum opiniones ac mores acri suo sermone, vitæque exemplo emendarunt, gratosque Deo, Angelis & hominibus effecerunt. *Confessores* uti rerum cœlestium prædicatores & æternitatis veluti fatores immortalitatem omnibus corporibus, quibus eorum fervor fuit aspersus, attulerunt. 2. *Luci mundi.* Lux effectus solis est, qui hunc oculis spectabilem mundum suis illuminat radiis, tenebras fugat, terramque fertilem reddit. Pari ratione *Confessores* à sole justitiæ Christo illuminati, mundum pulsatis errorum, vitiorumque tenebris luce doctrinæ suæ illustrarunt, fertilémque sic reddiderunt, ut uberrimos bonorum operum fructus hucusque protulerit. *Rectè facta fructus noster*, inquit S. P. N. (c) *quem reddimus agricolæ nostro.* Et alibi, (f) *Labor justorum maximum fructum habet in eis, quos regno Dei generant.* 3. *Lucernis:* Lucernæ vas potiùs sunt, ubi oleum continetur, quod dein accensum lucem præbeat, ac illuminet, ita sanè & *Confessores*, ceu lucernæ, oleum doctrinæ & bonorum operum in se continentes, succensi mundum ad simile virtutis studium inflammârunt, juxta illud *D. Augustini*, (g) *Lucerna est homo, qui benè operatur. Luceat omnibus, videant, quod imitentur.* 4. *Civitati in monte po-*  
*sita,*



fitæ, id est, *conspicua*. Latere nequit urbs in monte sita, sed omnium circumcirca degentium oculos ferit. Latitavere nequaquam sancti *Confessores*, sed quisvis suo officio, ad quod à Domino assumptus erat, ritè fungebatur, Christianique Evangelium & moribus Sanctis, & sermonibus spiritu Dei plenis, publicè prædicabant. Imò *montes sunt*, ex sententia Africani Præfulis, (h) *excellenti sanctitate eminentes viri, qui idonei sunt etiam alios docere, sic loquendo, ut fideliter instruantur; sic vivendo, ut salubriter imitentur.*

PUNCTUM III.

**E**xpende, *Sanctorum Confessorum* dignitatem, ex ipsorum officiorum sublimitate defumendam. Sunt etenim *servi illi boni & fideles* in eradicandis vitiis populorum, in plantandis virtutibus, in iisdem perficiendis, nihil aliud pensi habentes, quàm unicum honorem & gloriam Dei. Quare Beatos illos ob tantam vigilantiam atque indefessum laborem pronuntiavit. Sunt *æconomi & dispensatores* magni Patrisfamilias, quibus dedit omnia bona dispensanda familiæ tempore suo, id est, Sacramenta Christi fidelibus administranda & distribuenda, juxta illud S. Pauli, (i) *Sic nos existimet homo, ut in ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei.* Sunt *bonus Christi odor*, bonam scilicet Christi famam verbo & exemplo spargentes in

honorem Dei. Sunt *Consules ac Vicarii Christi* super terram, quibus plenam potestatem [ in ædificationem saltem ] commisit, secundum illud: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis &c.* (k)

## PUNCTUM IV.

**E**Xpende præmia, quibus Deus *Confessores* suos & in hac & in altera vita donat; in hac quidem varias ipsis concedendo gratias ac virtutes patrando miracula, mortuos ad vitam revocandi, morbis affectos sanitati restituendi, imò opinari P. Alphontum Salmeronem verbis illis Christi Domini apud Matth. (1) *Super multa te constituam*, innui, taciteque promitti Sanctos certis locis, ubi in vita strenuè laborârunt, in cælo à Deo præfici, ut ibi plùs boni operentur, ut scilicet morbis medeantur, aliave miracula patrent, quia id labore suo promeruerunt. Ita S. Ubaldi nostri virtus potissimum in effugandis immundis spiritibus ab obsessorum corporibus Eugubii in Umbria elucet, cujus Episcopus extiterat. S. Bernardus Mentonius noster in monte Jovis apud Salassos, ubi *Canonicorum Regularium Collegium & Xenodochium* pro peregrinis construxerat, & *Novariæ* in Sabaudia, ubi diem extremum obierat, opem suam implorantibus, auxilio est. In Lotharingia Venerabilis Servus Dei P. Petrus Forerius noster conterraneis suis atque aliis beneficium

ficum ac thaumaturgum se exhibet. In altera verò vita præmium & merces erit ipse Deus. In cælo, inquit S. Legislator noster, (m) præmium virtutis est ipse, qui virtutem dedit. Et, (n) Præmium Dei nullum est præter ipsum. Præmium Dei ipse est Deus, beata scilicet ejus visio. Cujus mercedis magnitudinem alta mente secum expendens idem Doctor noster exclamat:

(o) „ Vere Dominus magnus es tu nimis super omnes Deos, & merces tua magna nimis. Neque enim magnus es tu, & parva merces tua, quoniam non aliud es tu, & aliud merces tua. Sed tu ipse magnus nimis, tu ipse merces magna nimis, tu ipse præmiator es, & præmium felicitatis æternæ, tu ipse coronator es, & corona, tu ipse promissor Deus es, & promissio, tu remunerator es, & munus. Tu ergò coronator es & corona. Deus meus & diadema speciei meæ, quæ ornata es gloria, lumen lætificans, lumen renovans, decor adornans, spes mea magna, desiderium cordis Sanctorum, & desideratus eorum. Visio ergo tua tota merces est, totum præmium, totum gaudium, quod exspectamus, hoc est, „ vita æterna. „ O mercedem inæstimabilem! ô præmium ineffabile!

## Documenta.

**A**N non tibi, ô Religioſe Canonice ! ad hæc lecta & expenſa inardescit animus, jamque illuc cupis aſſiſtere, ubi te ſperas ſine fine gaudere? Sed ad magna præmia perveniri non poteſt, niſi per magnos labores. Si delectat mentem, tuam magnitudo præmiorum, non te deterreat certamen laborum. Oportet te, ex ſententia S. Patris tui, (p) in via laborare, ut in patria gaudeas. *Labore opus, eoque indefeſſo ac conſtanti.* Deus propoſuit, inquit idem S. Doctor, (q) regnum cœlorum. Dices illi: quantum valet? pretium ipſius labor eſt, ut verò quia ſempiterna requies eſt, ubi inveniri poterit æquale pretium? æterno certè labore digna eſt æterna quies comparari. Sed ſi ſemper labores, nunquam ad requiem pervenires, digna eſt quidem emi labore perpetuo, ſed & neceſſe eſt, ut labore temporali ematur. Certè tantus debuit eſſe, id eſt, ſempiternus labor pro requie ſempiterna. *Ne verò labore ſempiterno terreat, tantùm ſaltem laboris pro lucrandis cœleſtibus bonis adhibeas, quantum impendunt mundani homines pro ſuis lucris temporalibus.* Intueamur, admonet S. Legislator noſter, (r) quanta in laboribus & doloribus homines dura ſuſtineant pro rebus, quas vitioſè diligunt, & quantum ſe his feliciores fieri putant, tantò in-  
fe.

feliciter concupiscunt. *Si premium aeternae beatitudinis amas, labor omnis facilis tibi reddetur* amantium enim labores, teste S. P. N. (s) nullo modo sunt onerosi, neque recusatur, (t) labor, si adest amor, quoniam qui amat, non laborat. Ut etiam operarius, in agro fructum sperans, minus sentit laborem, (u) *ita minus & tu senties laborem ex amore & spe fructus percipiendi assumptum. Sed quis labor arripiendus? Respondet Doctor Africanus noster (w) ut ad illud ineffabile gaudium venire possimus, bonis operibus studeamus insistere, ac quotidie conscientias nostras intus aspicientes, si aliquid in stola animae nostrae aut per negligentiam dissolutum, aut per luxuriam sordidatum, aut per iracundiam combustum, aut per invidiam concisum, aut per avaritiam tenebrosum esse cognoscimus, dum adhuc in nostra potestate est, cum Dei adjutorio festinemus vulnerata curare, reparare perdita, & ad candorem justitiae ea, quae obscura fuerant, revocare: ne forte, si bonis operibus nudi, & vitiorum pannis sordentibus involuti, ante tribunal aeterni Judicis venerimus, illa ad nos terribilis sententia dirigatur: Discedite a me maledicti in ignem aeternum. Moriturus, dum ageret annum aetatis centesimum vigesimum S. Sampson Doliensis in Britannia minori Episcopus, inter extrema verba suis dixit:*

Laborate, quantum potestis, quia non potestis, quantum debetis.

*Porrò hic idem S. Præsul noster aliud pro Cælorum regno cœmendo pretium suggerit his verbis: (z) Regnum cœleste aliud non quærit pretium quàm te ipsum, tantùm valet, quantum es tu, te da, & habebis illud. Atque ut omnem scrupulum de vilitate pretii hujus fortassis à te conceptum removeat, alio in loco (aa) ista subjungit: Noli quærere, quid habeas, sed qualis sis. Sed malus sum, inquires, & fortè me non accipiet? te dando illi, bonus eris. Ita totos se Deo dedere, boni effecti, præmiùmque æterna felicitatis adepti sunt omnes illi, quotquot in Ordine Canonico - Augustiniano cœu in Vineâ Domini minimè otiosi ac torpentes, per exactam votorum, Regula ac Constitutionum observantiam, sensuùmque exteriorum mortificationem, abnegationemque propriæ voluntatis, nec non Verbi Dei prædicationem, Sacramentorum administrationem ac chori frequentationem, impigrè, ut decet servos fideles, laborârunt. Hos te imitari oportet, si simili mercede à cœlesti Patrefamilias donari desideras.*

(a) *Ad Rom. c. 10.* (b) *lib. de vera Innoc. c. 6.* (bb) *de Verb. Dom. Serm. 16. c. 12.* (c) *lib. 6. Etym. c. 2.* (d) *lib. 31. c. 7.* (e) *in Psal. 118.* (f) *contra Faust. lib. 22. c. 54.* (g) *Serm. 17. ex add. à Paris. c. 2.* (h) *Psal. 71.* (i) *I. Cor. 4.* (k) *Matth. c. 16.* (l) *c. 24. v. 21.* (m) *de Civit. lib. 22. cap. 30.* (n) *in Psal. 72.* (o) *lib. soliloq.*

a. 36. (p) in Psal. 102. (q) in Psal. 93. (r) de Pat. c. 3.  
(s) de bono vidui c. 2. (t) Tract. 48. in Ioan. (u) lib. 50.  
hom. 29. (vv) loc. cit. hom. 10. (z) in Psal. 105. (aa)  
in Psal. 93.

## EXERCITIUM III. MEDITATIO III.

### *De sanctis Virginibus.*

Virgines sunt, sequuntur Agnum, quocunque  
ierit. *Apoc. 14. v. 4.*

#### PUNCTUM I.

**E**xpende 1. Excellentiam status *Virginiei*, Deo  
quidem acceptissimi, ardui tamen ac diffi-  
cilis, & ideo non omnibus imperati, juxta illud  
D. Pauli, [a] *De Virginibus preceptum Domini  
non habeo.* Virginitas suasa est tantum, non  
iussa, ut scribit Isidorus noster Hispalien-  
sis, sed ideo tantum suasa, quia excelsa. *Paucorum est  
Virginitas in carne, omnium debet esse in corde,*  
verba sunt S. Augustini [b] Author hujus vitæ  
status est Filius Dei, JESUS, Deus & Homo,  
Virgo, Virginis Filius, Rex & Sponsus Vir-  
ginum, cui consequens est, esse statum mi-  
rabiliorem Angelico, quoniam Angeli tales sunt  
natura, Virgines electione voluntaria: quæ ta-  
meti hostibus circumretitæ, & mortali corpo-  
re gravata, dicere tamen cum Apostolo [c] pos-  
sunt: *In carne ambulantes, non secundum car-*

nem militamus. Qui in castitate vivunt, ex mente ejusdem S. Doctoris, [d] *Angelicam habent in terris conversationem. Castitas hominem cælo conjungit, Angelis facit civem. Imo, generosius est, eodem teste, (c) in carne jam imitari vitam Angelorum, quam ex carne augere numerum mortalium.*

Expende. 2. Tametsi *Virgines* sint, absque Sponso tamen eas non esse. Sed quo Sponso? *Jesu*, illi enim consecratae sunt amore & affectu, cum decreto relinquendi propter ipsum omnia, in eo summam felicitatem ponentes, si cum Regio Psalte dicere possint: *Mihi adhaerere Deo bonum est. (f) Nec vobis Virginibus*, inquit S. Legislator noster, (g) *Non est aliquid Christus, qui est unicus fœtus Virginis? ipsum quippe vos, quem filium edere non potuistis carne, sponsum invenistis in corde: & talem sponsum, quem & redemptorem sic teneat felicitas vestra, ut peremptorem non timeat Virginitas vestra. Qui etiam Matri virginitatem nec corporis abstulit, multò magis in vobis eam spirituali salvat amplexu. Nec propterea vos steriles deputetis, quia Virgines permanetis, nam & ipsa pia integritas carnis ad fœcunditatem pertinet mentis. O electionem honorificam! ô sponsalia honorifica! ubi quò Sponsus amatur ardentius, hoc efficitur animus purior, affectus sincerior, consuetudo suavior.*



PUNCTUM II.

**E**xpende felicitatem grandem *Virginibus* præparatam in cælo. Primò enim singulari familiaritate conjunctæ sunt cum Christo suo Sponso: & à Patre, cui sunt intimæ, & ab aliis Beatis, ut tales agnoscuntur. Neque mirum esse debet, eas tali gaudere privilegio: Virgines quippe Deo sunt simillimæ: qui est candor lucis æternæ ac speculum sine macula, sic illæ sine macula sunt ante thronum Dei, Virginitatem de cælo fluxissè Author est Divus Ambrosius, ubi nulla inter SS. Trinitatis personas, nulla quoque inter Angelos est sexuum conjunctio, juxta illud S. Gregorii Nazianzeni:

*Magnus conjugis expers  
Est Deus, atque rutilans Chorus  
Omnipotentis.*

Et alibi:

*Prima Trias Virgo est.*

Propterea portant inscriptum fronti nomen Patris & Christi Sponsi sui, habentes nomen ejus, hoc est, Agni, & nomen Patris ejus in frontibus suis. (h) 2. Hinc sequuntur Agnum, quocunque ierit, quasi comites perpetuæ summè dilectæ, quas Christus non dimittit à se, quasi in choro Virginum habeat delitias suas, communicando cum illis promissa gaudia, singulariter puris ac mundis. Sed quò ire putamus hunc Agnum?

Agnum? Interrogat *S. Augustinus*, (i) respondet is propositæ quæstioni. *Quo nemo cum sequi vel audeat, vel valeat nisi vos Virgines. Quò putamus eum ire? in quos saltus & prata? ubi, credo, sunt grandia gaudia, non gaudia hujus sæculi vana, insania mendaces, nec gaudia, qualia in ipso regno Dei cæteris non Virginibus erunt, sed à caterorum omnium gaudiorum sorte distincta, gaudia Virginum Christi, de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum, gaudia propria Virginum Christi, nam sunt eadem non Virginum, quamvis Christi.* Habentur primitiarum loco ut fructus lectissimi & gratissimæ oblationes. *Hi empti sunt de terra.* (k) Unde videtur Christus pro acquirendis Virginibus peculiariter laborasse, orasse, pretium sui sanguinis obtulisse tanquam pro pretiosissimis gemmis. 4. Illis datum est, non aliis, cantare canticum novum. *Et cantabant quasi canticum novum.* (l) hoc est, laudem quampiam peculiarem cum hilaritate singulari, pro gratia virginitatis præ aliis sibi donata. Quod canticum *cæteri Electi audire possunt, licet dicere nequeant.* (m)

## PUNCTUM III.

**E**xpende. Studium custodiendæ Virginitatis, gemmæ tam pretiosæ. I. Vivebant sancto cum timore, ne thesaurum hunc in fictilibus vasis amitterent. *Gravem enim castitas,*  
juxta

juxta *D. Augustinum* (n) sortita est inimicum: cui semper resistitur, & semper timetur. Inimicus iste domesticus caro propria est & fomes malæ concupiscentiæ, quæ minui quidem, consumi tamen non potest in hac vita. 2. Perpetuam adhibebant custodiam sensuum, oculorum præsertim, aurium & linguæ ad coercendas impressiones malignas, quæ inquinarent tam bellum candorem. Si virginitatem anima integram, suadente eodem *S. Doctore*, (o) servare desideras, quantum potes observa blandimenta Draconis, ne fortè, si incautus fueris, quinque sensus, qui in te sunt, quasi quinque Virgines permittas à serpente corrumpi. Quidquid enim pulchrescit visu, quidquid dulcescit gustu, quidquid blanditur auditu, quidquid lenocinatur odoratu, quidquid mollescit tactu, in his omnibus, si incanti fuerimus, surrepentis concupiscentia malis, anima virginitatem corrumpi permittimus, & impletur illud, quod per Prophetam dictum est: Intravit mors per fenestras vestras. Porrò fugiebant conversationes hominum, amabant solitudinem. *S. Augustinus* instruens Virginem: Fuge, inquit, (p) superfluitatem habendi: fuge latitiam sæculi, qua in cælo futura es gavisura cum Angelis sanctis: serua cor tuum Domini custodia. Contine ab otiosis sermonibus linguam, & in omnibus te talens Virgo venerabilis exhibe, ut quasi lilium de hor-

to Ecclesia colligaris, & digna sis Regi Virginum in perpetuum copulari. Ad hæc abhorrebant à delitiis, & invicem macerabant carnem abstinence, ciliciis, temperantia. *Periclitatur enim, teste Bernardo, castitas in delitiis, summum verò adjutorium, juxta nostrum Isidorum (q) ad servandam castitatem præstabit cilicium, & oïnis, totisque noctibus statio immobilis, panis desiderium, ardens lingua, modicæque irrorata, sepulchrorum habitatio. Certè ex mente S. Ivo- nis nostri Carnotensis, Virginis cutem cilicio squalidam esse decet. Atque hæc sunt illæ ipinæ, quibus si Rota Virginitatis circumdata fuerit, à læsione immunis erit. Tandem perpetuum habebant ad Deum in oratione perfugium, quæ D. Augustino (r) antidotum omnium morborum est, scientes, Dei gratia conservari florem tam delicatum. Omnino enim, inquit idem S. Pater, [s] in Domino facimus hanc virtutem. Ipse est, qui non modò carnem nostram cum concupiscentiis suis, & præsens sæculum nequam cum curiositatibus & vanitatibus suis, sed etiam ipsum cum tentationibus suis Sathanam conterit sub pedibus nostris.*

## PUNCTUM IV.

**E**Xpende cum Virginitate conjunctum esse Martyrium, attamen non sanguinis semper aut ferri: Neque enim, mellifluo Doctore teste, solùm effusis sanguinis in confessione reputatur, sed

devota quoque mentis servitus immaculata, quotidianum Martyrium est. Martyrium, inquam Virginitas, non tam tolerandi causa, ut in hoc se statu conservent, quam donationis plenæ sui ipsius, quam Deo fecerunt Virgines, sicut faciunt Martyres, qui suum Deo dant corpus, integra donatione. Imò *expende*, quanto numero Virgines huic martyrio conjunxerint martyrium ferri? Quanta pertulerint, ne perderent virginitatem? *S. Brigida* nostra Lageniensis Scota, Virgo formosissima, ne Virginitatem amitteret, etiam honestissimo locata matrimonio, tempore desponsationis imminente, Deum enixè quæ precibus, quæ lacrymis rogabat, deformem se redderet, ut hoc saltem modo porcorum manus evaderet. Preces ipsius exauditas fuisse, ex unius oculi, qui crepuit medius, defluens deterrimus cruor abundè ostendit. Unde & illa occasionem, sacrum velamen ex Machæ Episcopi manibus accipiendi, nacta fuit. Non minùs etiam multæ pro Virginitate tuenda, quàm aliæ pro fide sanguinem fuderunt. Domesticum referendo exemplum, sancta Ripsinis & sociæ sub Gaiana Antistita in Cœnobio degentes Virgines, linguæ excisionem, pelvis è corpore avulsionem, ac crudelissimam tandem mortem potiùs gloriôsè subierunt, quàm nuptias, ad quas à viris etiam principibus expectabantur, admitterent. **O** invictam fortitudinem!

nem! ô gloriosam victoriam! Ibi enim, ex sententia *Præfulis Africani nostri*, [t] est corona gloriosior, ubi *Christus infirmior*, quia profectò virilis animus in fœmina majus aliquid fecit, quando sub tanto pondere fragilitas fœminea non defecit.

### Documenta.

**S**uperfluum foret, particularia hic annexere documenta, cùm singula meditationis puncta ita constituta sint, ut, si ea benè tecum ô Religiose Canonice, expenderis: oppido te, quid tibi faciendum, quid fugiendum sit circa *Angelica Virginitatis & Religiose castitatis custodiam*, in praxi edoceant. Tu modò sequere, *Christum agnum illum immaculatum*, quocunque ierit, imitando scilicet eo, quem S. Legislator tuus præscripsit, modo, qui ad hanc sequelam cohortans *Virgines atque alios homines*, his utitur, more suo, gravibus verbis. Meritò, inquit, [u] vos *Virgines sequimini agnum Virginitate cordis & carnis*, quocunque ierit. Quid est eum sequi, nisi eum imitari. Quia *Christus pro nobis passus est*, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Hunc in eo quisque sequitur, in quo imitatur, non in quantum ille *Filius DEI est unus*, per quem facta sunt omnia: sed in quantum *filius hominis*, quæ oportebat, in se præbuit imitanda: &

& multa in illo ad imitandum omnibus proponuntur, Virginitas autem carnis non omnibus: non enim habent, quid faciant, ut Virgines sint, in quibus jam factum est, ut Virgines non sint. *Et sequenti capite*: Sequantur itaque cæteri fideles agnum, qui virginitatem amiserunt corporis, non quocumque ille ierit, sed quousque ipsi potuerint. Possunt autem ubique, præterquam cum in decore virginitatis procedit: *Beati pauperes spiritu*: Imitamini eum, qui propter vos pauper factus est, cum dives esset. *Beati mites*: Imitamini eum, qui dixit: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. *Beati lugentes*: Imitamini eum, qui flevit super Hierusalem. *Beati, qui esuritis, & sititis iustitiam*: Imitamini eum, qui dixit, meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me. *Beati misericordes*: Imitamini eum, qui vulgerato à latronibus, & in via jacenti semivivo desperatoque subvenit. *Beati mundo corde*: Imitamini eum, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. *Beati pacifici*: Imitamini eum, qui pro suis persecutoribus dixit: Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. *Beati, qui persecutionem patimini propter iustitiam*: Imitamini eum, qui pro vobis passus est, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Hæc qui imitantur, in iis agnum sequuntur.

T

(a) I.

(a) I. Cor. 7. (b) in Psal. 147. (c) I. Cor. 10. (d) Serm. 249. de temp. (e) Epist. 176. ad Prob. (f) Psal. (g) Serm. 60. c. 1. de divers. (h) Apoc. c. 14. (i) lib. de Virg. c. 27. (k) Apoc. c. 14. (l) ibidem. (m) S. Gregorius 3. part. Past. (n) lib. de hon. mulier. c. 2. (o) lib. 50. hom. hom. 15. (p) Serm. de Assumpt. V. (q) apud Hieronymum à Hirnbaim Abbatem Præmonstratensem Strahoviensem Praga, in Sermones S. Norberti expenso, Period. 4. Nucleo 26. qui liber egregius sanè, editus fuit ibidem. Anno 1676. in fol. (r) Serm. de Assumpt. Virg. (s) Med. c. 13. (t) Serm. 104. de divers. cap. 1. c. 2. (u) lib. 6. de Virg. cap. 26. (vv) ibidem c. 28.





# PARS III.

Continens Considerationes de Origine, Instituto, Fine, Habitu Ordinis Canoniorum Regularium, Regula S. AUGUSTINI, Tribus Votis, eorundem ac Spiritus Renovatione.

T 2

PRÆ-

## PRÆLOCUTIO.

**C**UM aliqualis hic labor meus *Canonicos Regulares* potissimum concernat, è re ipsorum atque voto, imò & tui mi *Augustinophile* facturum me existimavi, si *Auctarii* loco *Considerationes* quasdam Ordinis nostri Canonici, quò nil in *Ecclesia sacratius, augustius nihil* (a) *Originem, Institutum, Finem, Habitum, Regulam, Tria Vota, eorundem ac Spiritus renovationem explicantes, pari prioribus methodo, adderem, idque eo potissimum fine, ut inde debitus Filiorum in Matrem cresceret amor, non enim diligitur, teste S. P. N. (b) quod penitus ignoratur, eaque scirent, quæ statûs ac vocationis suæ essent: hæc enim ignorare, notam supinæ negligentiae, minimè tamen olim impunè ferendæ, incurrere est. Non tibi deputatur ad culpam, inquit idem S. Doctor, (c) quod invitus ignoras, sed quod negligis querere, quod ignoras.*

(a) *Nicolaus Desnos in Epist. ad Lect. Operis sui Parisiis 1674. editi sub titulo Canonicus Sacularis & Regularis. (b) Tratt. 96. (c) de lib. arb. lib. 3. cap. 19.*

CON-

## CONSIDERATIO I.

*De origine & propagatione Ordinis Canonico-regularium.*

Attendite ad petram, unde excisi estis, attendite ad Abraham Patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos. *Isa. cap. 51. v. 1.*

### PUNCTUM I.

**E**xpende. Locum illum voluptatis, *Paradisum* appellatum, quem ab initio summus cæli terræque arbiter Deus plantaverat, ex mente *S. Augustini*, (a) archetypum fuisse Ecclesiæ, à Christo dein institutæ. Ut verò locus ille, ex quo progrediebatur fluvius, in quatuor capita divisus, plantas habuit nobilissimas, arbores protulit fertilissimas, ita non minùs ex ejusdem *S. Doctoris* sententia: (b) *Paradisus Ecclesiæ habet ligna felicia: ligna habet fructifera, Sanctos. Fructus autem eorum, opera eorum. Lignum vitæ, Sanctum Sanctorum, utique Christum. Quatuor flumina quatuor Evangelia.* An non etiam felicia & fructifera ligna, tot religiosæ à diversis sanctis viris ac fœminis institutæ Congregationes ac familiæ? Quas inter non infimo loco ponendus *Clericalis* noster *Ordo*, quem posterior ætas *Canonicorum Regularium* appellavit, qui incunabula sua non alia quàm Ecclesiæ agnoscit, atque cum ea na-

tus non temerè asseritur, (c) Christo ipso, utpote primo Sacerdote, Pontifice maximo, & Episcopo animarum, (d) lapide angulari ac prima radice: *Inventor siquidem*, inquit noster Hugo à S. Victore, (e) nostri Ordinis missus fuit à claustro summi Abbatis, à sinu videlicet Dei Patris. *Venit in hunc mundum, induit humilitatis habitum, induit vestem carnis: vocavit peccatores ad claustrum perfectæ religionis: collegit Conuentum, constituit numerum duodecim Apostolos & discipulos complures, quasi conversos. Construxit Ecclesiam, per totum orbem terrarum diffusam, proposuit communem vitam secundùm Regulam sub sanctis Apostolis constitutam. Quare R. P. Petrus Forerius Canonici Regularibus à se reformatis existimationem vocationis suæ ad hunc Apostolicum Ordinem ingeneraturus, initio Constitutionum suarum, à Deo ipsos vocari, asserit, sub instituto, formæque vivendi per ipsum è cælis allata, traditæque primò sanctis Apostolis, & postea per S. Augustinum restaurata, culta, propagata.*

## PUNCTUM II.

**E**Xpende. Hunc super fundamentum Apostolorum, ipso lapide angulari Christo (f) in Paradiso Ecclesiæ fundatum Clericalem Ordinem ab iisdem Apostolis, eorundem Discipulis in diversis per orbem Ecclesiis fuisse dilatatum, à S. Jacobo quidem in Ecclesia Hierosoly-

lymitana, teste S. Clemente Discipulo & Successore D. Petri (g) à S. Marco Evangelista in Alexandrina, à S. Timotheo S. Pauli Discipulo in Smyrnenſi, à S. Ignatio Martyre in Antiochena: eundem porro in Galliam B. Crescente, in Hispaniam S. Saturnino, in Germaniam S. Materno inferentibus, uti & aliis è septuaginta duorum Discipulorum Collegio, dum totum terrarum orbem doctrinæ, à divino suo Magistro hausta, disseminandi gratiâ peragrarent, cunctis in locis domicilia *Clericorum regulariter* viventium instituentibus, ut multiplicatus inde Collegiorum tam virorum quàm mulierum numerus innumerabilis propè redditus fuerit. (h)

PUNCTUM III.

**E**Xpende. *Apostolicum* hunc *Clericalem Ordinem* injuria temporum, atque ob varias Tyrannorum, Clericos æquè ac alios dogmatibus Christi adhærentes, neci dantium persecutiones, è primo suo nitore ac fervore dejectum, varias subiisse in diversis Ecclesiis à diversis Sanctimonia vitæ claris viris Reformationes. In Gallia in Ecclesia Turonensi à S. Martino: In Italia in Ecclesia Vercellensi à S. Eusebio, in aliis provinciis ab aliis Apostolici fervoris viris; omnium tamen celeberrimam fuisse illam, in Africa à S. Augustino Hipponensium Episcopo factam. Is enim à Valerio Antecessore suo Presbyter ordi-

dinatus, Monasterium Clericorum mox instituens, cum iisdem secundum Regulam à SS. Apostolis constitutam triennio vixit, orando, lectionibus incumbendo, verbum Dei etiam publicè prædicando, hæreticos verbo & scriptis privatim & palam infectando, nec non acerrimè profligando, donec ab eodem Præsule Episcopalis muneris coadjutor suffectus est. Ubi non solum primum *Regularis vitæ* institutum non deseruit, sed & exemplo ac præceptis salubribus auxit. Cùm enim Regulam ex Actis Apostolorum collectam, quàm temporibus primitivæ Ecclesiæ Clerici observare solebant, nimis generalem esse cognosceret, nec præcepta aliqua particularia continere, ipsam præceptis nec non constitutionibus specialibus auxit, quam postea non solum ipse exactè usque ad ultimam vitæ suæ periodum servavit, sed aliis quoque, Clericis ac Canonicis præsertim, quos verbo & exemplo docuit, servandam propoluit, (i) Ut proinde non immeritò à plerisque *Institutor* sacri hujus Ordinis habitus sit, licet nonnisi *Instaurator* fuerit.

## P U N C T U M IV.

**E**xpende. *Apostolico-Clericale institutum* ab *Augustino* Regulis illustratum, tam latè ramos suos extendisse, ut non solum illud, sancto Antistite adhuc in vita superstite, in plurimis circumquaque Ecclesiis & Monasteriis Africæ

cæ Regionis, verum etiam in transmarinis partibus propagatum fuerit, (k) S. Gelasio ac alii ejusdem S. Patris Discipulis operam suam indefessam ac industriam intra & extra patriam conferentibus, ex qua Gelasius cum Quodvult Deo Carthaginensi & Gaudioso Bitinensi Episcopis à Wandalis proscriptus, Romam in Italiam veniens, à Leone I. Romano Pontifice benignè primum exceptus, dein in Patriarchali Ecclesia Lateranensi cum Collegis collocatus, ibi sanctam Regulam ab *Augustino* acceptam excoluit, ad summum Romanæ Sedis clavum post assumptus. Hanc Regulam Canonicumque institutum exinde Hyberniæ intulit harum Gentium Apostolus S. Patritius, & ipse in eadem Lateranensi Ecclesia sub Regulari disciplina educatus. Idipsum & alii fecere viri, qui eandem Regulam aliis Provinciis & Ecclesiis intulerunt, ita quidem, ut P. Nicolao Desnos nostro teste (l) ab *Augustino* usque ad *Ivonem Carnotensem nostrum*, id est, usque ad undecimum seculum nil Concilia, nil Patres ubique frequentius clament, nil antiquius in votis habuerint, quam ut in omnibus majoribus Ecclesiis vita Religiosa & Ordo Canonicus floreret secundum Regulas sanctorum Patrum, quorum semper *Augustinus* antesignanus proponitur, cum ipse omnibus Ecclesiæ Antistitibus & exemplo & legibus in genere vita vere Canonico praluxerit.

## PUNCTUM V.

**E**Xpende, post Hipponensem Præsulem *Augustinum Canonici Ordinis* celeberrimum in Galliis restauratorem fuisse & propagatorem *S. Ivonem*, ex Canonico Regulari & Abbate *S. Quintini* Episcopum *Cornutensem*, à *P. Nicolao Desnos* nostro, (m) *Augustinum redivivum*, ob similem fere operam collocatam, appellatum. Hunc imitati plures alii, Monasteria sua, in quibus disciplina Canonica nonnihil imminuta fuerat, aequè ad strictiorem observantiam juxta *Regulæ Augustiniane* normam reducere adlaborârunt, progressu tam felici, ut Ordo noster dein in plures excreverit Congregationes ceu Colonias, plurima numerans domicilia, atque in iisdem multò plures inquilinos Canonicos Religiosos. In Italia cœpit anno 1400 celebris Congregatio, *Lateranensis* dicta, per eximium Verbi Dei præconem *Bartholomæum Columnam*, socios impigerrimos agentibus *P. Leone de Carate*, & *P. Thadæo de Bagnasco*, ambobus cœli aurei *Papiae* *Canonicis Regularibus*. In Lusitania prodiit anno 1131. Congregatio *Conimbricensis* per *S. Theotonium* primum Priorem *Ecclesiæ S. Crucis Conimbriæ*, aliòsque septem religiosissimos viros. In Belgio originem habuit anno 1367. per *M. Gerardum Groot* & *D. Florentinum Radewinum* *Windesemensis* Congregatio. In Lotharin-

gia



gia anno 1621. incunabula sita debet Venerabili Servo Dei Petro Forerio, Abbatia Chaulmoufianæ Canonico Regulari, Lotharingæ Thaumaturgo, cognominato Patri de Matincour, *Congregatio Salvatoris nostri*. Reformationis *Cancellatenfis* Abbatia & Congregationis inde erectæ author est Illustrissimus & Reverendissimus Alanus de Solminihac dicti loci Abbas Regularis, dein Episcopus Cadurcensis in Gallia, quam juxta genuinum Dei spiritum esse ipse asserere solebat. Florentissima denique & religiosissima Gallicana Congregatio auspiciata fuit anno currentis sæculi vigesimo quarto sub Urbano VIII. Pont. Rom. & Ludovico XIII. Galliarum Rege per Eminentissimum S. R. E. Cardinalem Franciscum de Rupefucaldo, qui 17. die Aprilis dicti anni convocatis duodecim Canonicis Regularibus S. Vincentii Sylvanectensis reformatis unà cum R. P. Carolo Faure eorum Superiore, illos in sua Regali Abbatia ad S. Genovefam instituit ad eandem reformandam, quàm triennem postmodum reddidit ac electivam, se ipsum spolians titulo Abbatis, R. P. Carolo in primum Abbatem & Generalem constituto. (u)

PUNCTUM VI.

**E**xpende, *Ordinem Canonicorum Regularium*  
à Christo Domino & Apostolis plantatum,  
à SS. *Augustino, Patritio, Martino, Ivone,*  
aliis-

aliisque viris sanctissimis rigatum, Deo incrementum uberrimum dante, ad instar arboris illius magnæ ac fortis, Regi Babylonæ Nabuchodonosori in somnis objectæ, (o) ramos suos latè per orbem Christianum extendisse: adeo quippe hic sacer cœtus noster excrevit numero Ecclesiarum ac Cœnobiorum, ut solùm Patriarchalium, Metropolitanarum, & Episcopaliū sylvabum texendo Abbas Gabriel Pennotus (p) centum quadraginta quatuor numeret, Collegiatis verò & Monasteria mille, idque non levibus conjecturis, sed authenticis testimoniis petitis hinc inde ex tabulariis ejusmodi Ecclesiarum, Chronicis & historicis celebrioribus ac certioris & indubitatæ fidei. Majorem numerum assignat Author *Atrii gloria*, (q) dum Ordinem *Canonicum* bis centum millenas & quingentas olim numerasse Ecclesias asserit. Certè referente Ascanio Tamburino, (r) in Europa extitère Monasteria 4500. atque in sola Italia 700. In Ducatu Bavariæ 22. hodie prostant Victoriarum Collegia, plura olim numerata, quæ modò vel ad alios Religiosos devenerunt, vel illorum redditus alios in fines Romani Pontificis consensu applicati fuerunt. (s) Crevit portò Canonicus iste Ordo & dignitate & sanctitate. Dignitate quidem, ut sex ultra viginti Romanos Pontifices Ecclesiæ suppeditaverit, præter illos, qui Urbanum Primum præcesserunt, qui

om-

omnes Clerici Regulares erant ; quibus adde  
innumeram ferè multitudinem Cardinalium ,  
Patriarcharum , Archi-Episcoporum , & Episco-  
porum , qui pluribus sæculis Ecclesiam sanctif-  
simè rexerunt. Sanctitate verò , cùm produ-  
xerit maximum Sanctorum Martyrum nume-  
rum , qui eandem Ecclesiam sanguine suo purpu-  
rârunt ; quater mille & quingentos Confesso-  
res in Divorum Apotheosin relatòs , R. P. Joan-  
nes de Nigra Valle ex Ordine Præmonstratensi  
Bibliothecarius Apostolicus ex Anastasio & Bi-  
bliothecâ Romanâ recenset , ( t ) ingentem quo-  
que numerum Doctorum , à quibus contra hæ-  
reticorum incurfus propugnata , quorúmque eru-  
ditissimis scriptis illustrata fuit. ( u ) Verissimè  
in *Augustino* hîc adimpletum , quod olim Abra-  
hamo verè credentium Patri promiserat Deus :  
( w ) *Faciam te in gentem magnam , & benedi-  
cam tibi , & magnificabo nomen tuum , erisque  
benedictus.* Eris *Augustinus* , id est , *auctus*.

### Documenta.

**H**Æc sunt incunabula Religionis Matris tuæ,  
ô *Religiosè Canonice!* Hi progenitores tui,  
prolem te non degenerem proba , sed genuinum  
*Matris* hujus *filium*. Hos imitare , quorum  
non sine divini Numinis nutu amplexus es in-  
stitutum. Summi beneficii loco habe , à Deo  
te non tam ad statum Religiosum , quàm ad  
hunc

hunc Apostolico-Clericalem Ordinem, relictis  
 tot aliis, multò te melioribus, vocatum fuisse,  
 hancque vocationem tuam maximi æstima Ala-  
 ni Cadurcensium Episcopi exemplo, qui tanti vo-  
 cationem suam ad statum Religiosum faciebat,  
 ut eum universis mundi pompis antetulerit. Si  
 quando generis ejus nobilitas prædicaretur, di-  
 cebat, omnem nobilitatem ac dignitatem suam  
 in eo consistere, quòd religiosus esset. Neque  
 hæc æstimatio transitoria fuit, quippe quamdiu  
 vixit, eam conservavit: aiebat aliquando, se  
 per annos viginti duos, quibus in Ordine *Ca-  
 nonicorum Regularium* vixisset, nunquam ha-  
 buisse cogitationem suæ vocationi contrariam,  
 ad eam deserendam opus omnino fore revelatio-  
 ne, quod ipsum etiam ferè morti vicinus asse-  
 rebat. Non minore eandem amoris affectu pro-  
 sequebatur: certè non fuit unquam sponsus,  
 qui tam tenerè novam sponsam suam adamare  
 visus sit (hanc ipse comparisonem instituebat)  
 quam suam ille vocationem adamaret, & tametsi  
 amor iste tam vehemens fuerit, ut ipsemet mi-  
 rareretur, quod præ illius magnitudine non mo-  
 reretur, erat tamen is etiam adèd tener & sua-  
 vis, ut instar infantis eandem deperiret, ille  
 blanditus vocabulis, amore plenissimis, eous-  
 que, ut se continere nequiret, quin *adorandam*  
 nominaret: (aa) Tantas etiam ex vita Religio-  
 sa degustavit voluptates, ut si nec cælum nec

infernus existerent, non tamen propterea ab amplectendo statu religioso ipse desistere voluisset. (bb) Quare magnus hic asceticos Magister doctrinas quasdam religiosis suis Canonicis Cancellatensibus pro spiritus profectu atque virtutum adeptione tradens, primatum tribuit ingenti æstimationi atque amori suæ vocationis, quem super omnia procurare, atque nihil eorum omittere deberent, quo augeatur; asserere quoque est ausus, credi omninò posse, Religiosum aliàs nulla solida virtute præditum, meris imperfectionibus scatentem, in bono statu nihilominus versari, dummodò magnum suæ vocationis amorem habeat. Amorem etenim istum excitare efficax desiderium, in eadem per Regulæ & Constitutionum observantiam proficiendi, nec non in spiritu instituti sui se perficiendi, faceréque, ut omnes difficultates non difficulter vincantur, quin & tollantur, plurimum namque suam vocationem amanti nihil esse difficile. (cc) Ad hanc vocationis Religiosæ æquam æstimationem, atque pro ea, quæ consequitur, Deo rependendam debitam gratiarum actionem hortatur te *S. Augustinus* (dd) dum ita pateticè loquitur: *Benedicite Dominum, qui statis in domo Domini. Parvumne hoc benescium, quod stemus in domo Domini? nonne cogitandum, quid hic stamus? quid hic facti fuerimus? ubi jacebamus? quo collecti simus?*  
non-

nonne cogitandum est, quia ipse non quarentes  
 quaesivit, inventos excitavit, excitatos vocavit,  
 vocatos introduxit, in domo sua stare fecit? hac  
 qui cogitat, & ingratus est, omnino despici-  
 cit se pro amore Domini sui, à quo sibi tanta  
 sunt praestita, & quia non habet, quod pro tan-  
 tis beneficiis retribuat, calicem Domini accipit,  
 & nomen Domini invocat. Hinc apud quosdam  
 ferventiores, vocationisque suae religiosae aman-  
 tiores viros usu receptum est, in accepti bene-  
 ficium memoriam quot annis eum diem, quo re-  
 ligiosum amplexi sunt institutum, cultu ma-  
 gis festivo, vacando precibus longioribus aliis-  
 que piis exercitiis traducere, praemittendo etiam  
 pridianum jejunium, aut aliam corporis affli-  
 ctationem. Ita apud *Canonicos Regulares Con-  
 gregationis Salvatoris nostri* per P. Petrum Fo-  
 rerium erectae *festae Purificatae*, & ab Angelo sa-  
 lutatae *Virginis* majori cultu celebrantur, eò  
 quòd primi è Patribus illis, die Purificationis  
 anno 1623. Religiosum amictum induerint, &  
 anno insequenti, festo Annuntiationis Mariae,  
 solemniter se Deo Sacramento adstrinxerint. *Can-  
 onici Regulares Religiosissimae Congregatio-  
 nis nostrae Gallicanae* ex Decreto Capituli seu  
 Generalis Parisiis in Abbatia Regali S. Geneve-  
 fae 27. Septembris anno 1659. habiti, quotan-  
 nis die 22. Januarii Festum S. Vincentii Marty-  
 ris sub ritu duplici, ut vocant, secundae classis  
 age.

agere jubentur, eò quod sub *Hujus* primum Syl-  
vanecti, móxque Parisiis S. Genovefæ auspiciis  
ac veluti Patrociniis Reformata illa per Congre-  
gatio sumperit exordium, Cujus Congrega-  
tionis Statuta volunt, cap. 3. ut sui Canonici dies  
Vocationis & Professionis speciali devotione  
transigere conentur, & anniversaria festiuitate  
recolere. Hæc meliora exempla & tu æmula-  
re atque constans in arrepto semel vitæ Cano-  
nicæ proposito ac loco ad vitæ ultimam perio-  
dum persevera. Hæc Religiosa familia sit re-  
quies tua, hic locus sit habitatio tua in sæcu-  
lum sæculi, quoniam elegisti ea. Multos enim  
fefellit mutatio loci & statûs, qui animi sui per-  
turbationem & inquietudinem hoc modo eva-  
dere cogitârunt, sed spe sua delusi sunt, eun-  
dem hominem, qui â nemine magis, quàm à  
se ipso læditur, ubique circumferentes. Diffi-  
cile est, ut alio in loco laudabiliter vivat, qui  
se & sua vitia secum portat: Sequentur autem  
illa te, Seneca teste, quocunque perveneris, li-  
cèt vastum trajeceris mare, licèt terræ urbés-  
que recedant. Verissimè Horatius in Satyris

*Terras non animum mutant  
Qui trans mare currunt.*

Magnas duntaxat parit distractiones, ac curiosi-  
tatem alit locorum mutatio, novis quoque lo-  
corum habitaculis & hominum societatibus cre-  
brius

brivis assuescere, devotioni mentis & quieti non parum officit. Cum stabilis in uno loco permanentia, præter quod gravioris & constantioris animi signum sit, profectum spiritualem magnopere adjuvet.

Id magis adhuc dolendum, inveniri quosdam, qui averfi à prima vocatione, in qua permanendum esse Apostolus monet, (ee) ad alium ordinem, quasi perfectiorem aspirant, cumque mores mutare deberent, hanc mutationem differunt, donec sint in alio loco, ad quem nunquam perveniunt. Somnia vigilantium ista sunt, & subtilissima diaboli tentatio, laqueum tendentis nostræ perfectioni, cum desideria in nobis excitat magnarum rerum alio loco, & in alia vocatione agendarum: spiritum enim occupant, & mentem distrahunt, ne rei attendatur, quæ præ manibus habetur, & quæ ad proprium munus pertinet. Maximopere hallucinatur, qui statu vitæ jam prudenter electo locum aptiorem Deo serviendi in alio vitæ genere vel etiam loco sibi fingit & quærit, in suo siquidem munere explendo segnus, nihil agit, ubi est, dum multa & magna molitur, ubi non est. *Mutet vitam, qui vult accipere vitam, ex sententia Africani Præsulis Augustini. (ff)*

(a) in Psal. 47. & de Civ. lib. 13. c. 21. (b) in Ps. 39.  
(c) Ioan. Bedel. in vita Pet. Forer. l. I. c. 15. Leonardus  
Castenet in vita Alani l. 1. c. 9. Leo Rhedunensis Carme-



lira in studio Sapient. univers. edito anno 1657. fol. mihi  
 97. (d) P. Paulus Beurier noster in speculo Christiana  
 Religionis Parisiis 1672. impresso. (e) lib. 4. de clauetro  
 anima cap. ult. (f) ita loquitur Abbas Gabriel Penno-  
 tus noster in Proæmio hist. trip. lib. 2. (g) Verba refe-  
 runtur in cap. Dilect. c. 1. q. 12. (h) Ioan. Bapt. Mele-  
 garius in inst. Can. Reg. fol. 11. & seq. (i) Ascan. Tam-  
 bur. de jure Abbat. tom. 2. dist. 24. q. 4. n. 2. Est com-  
 munitatis sententia Doctorum Ordinis nostri, Pennoti, Me-  
 legarii, Trulli, Petri à S. Trudone, Cornelii Bartholo-  
 mai, (k) S. Possid. in vita S. Aug. c. 11. (l) lib. 3. c. 35.  
 (m) loc. cit. c. 34. (n) Paulus Beurier in brevi Chronolo-  
 gia fol. mihi 136. Numerat Congregatio Gallicana, per  
 illud regnum latè propagata, ultra centum & aliquot  
 domicilia, quorum aliqua insignes Abbacia, Præpositura,  
 ac Prioratus existunt, qua omnia unius capituli, Præpo-  
 siti scilicet Generalis, qui Triennialis ac modò Reueren-  
 dissimus & Amplissimus D. Paulus Beurier est, vir pietate  
 ac libris editis insignis, jussis obtemperant. Nostrum  
 S. Crucis Augustanum Collegium licèt de gremio & mem-  
 brum religiosissima hujus Congregationis non sit, omnium  
 tamen sacrificiorum, jejuniorum, ac aliorum bonorum  
 operum, qua ab ejusdem Congregationis Canonicis Regu-  
 laribus peragi Deus concesserit, particeps reddidit Re-  
 verendiss. & Illustriss. Dominus Franciscus Blanchart  
 Abbas Regalis Ecclesiæ S. Genovefæ Parisiis, nec non  
 totius Congregationis Præpositus Generalis, datis publi-  
 cis sub 28. Dec. An. 1670. exaratis litteris cujus An. 1675.  
 die 7. Febr. de functi anima in pace aternùm quiescat! (o)  
 Dan. c. 4. (p) l. 2 hist. trip. per tot. (q) fol. 62. (r) to. 2.  
 de lure Abb. dist. 24. (s) Ex hoc bino & vigesimo nume-  
 ro sunt undecim Reuerendissimi Mitrati Præsules ac qua-  
 tuor Archidiaconi, nec non unus Cathedralis Ecclesiæ  
 scilicet Chiemensis, summus Præpositus, in Imperialici-

vitate nostra Augustana duo reperiuntur Ordinis nostri  
 Collegia, quorum uni ad S. Crucem nomen, cujus Re-  
 verendissimus Præsul usum Mitre ac Pedi Pastoralis ha-  
 bet, quodve ob Hostiam Miraculosam, sanguinea car-  
 nis specie visibilem, continuisque miraculis coruscantem,  
 celeberrimum. Alterum D. Megalo Martyri Georgio  
 sacrum est, ubi & Zona, siue cingulum militare as-  
 servatur, quo usum fuisse sanctum hunc Martyrem constans  
 est traditio, probâtque pius usus fidelium, maxime fœ-  
 minarum in partu de vita periculantium, quibus dolo-  
 res leniuntur, felixque partus redditur, si eodem pra-  
 cingantur. (t) Leonard. Castenet lib. I. *vita Alani.* (u)  
 Integrum opus de Scriptoribus ex Ordine Canonicorum  
 Regularium conscripsit Author hujus opusculi sub titu-  
 lo Bibliographia Canonico-Augustiniana, in quo ultra  
 mille recensentur Scriptores, appositis eorum libris ac elo-  
 giis: adservatur penes ipsum adhuc manuscriptum. (w)  
 Gen. cap. 12. (aa) lib. I. c. 2. *vita Alani.* (bb) *ibidem*  
 cap. II. (dd) in Psal. 135 apud Ioan. Bapt. Mascul. in  
 Ponder. Conc. in D. August. fol. mihi 606. col. I. (ee) 2.  
 Cor. 7. (ff) Serm. I. de Temp.

## CONSIDERATIO II.

*De Spiritu, Fine, ac Functionibus Canonicorum Regularium.*

Obsecro vos, ut dignè ambuletis vocatione, quâ  
 vocati estis. *Ad Ephes. cap. 4. v. 1. & 2.*

### PUNCTUM I.

**E**xpende 1. Sicut ex mente Gentium Doctoris,  
 (a) in uno corpore multa quidem membra  
 existunt, non eundem tamen, sed diversum  
 actum,

actum, id est, exercitium & functionem habent, ita in Ecclesia à Christo fundata, ceu in mystico quodam corpore, inveniri, ceu membra, plures religiosos cœtus, ac diversos ordines, non habentes eundem particularem à sanctis suis Fundatoribus præfixum finem, non easdem sed diversas planè functiones. Alii enim sibi soli, cœlestiumque rerum contemplationi vacant, quidam se totos proximo impendunt, alii infirmis inserviunt, nonnulli terrâ marique in bello pugnant, quidam dum sibi invigilant, proximi salutem non negligunt, has tamen singulares functiones tendere ad eundem scopum, respiceréque finem universalem, qui est perfectio vitæ Christianæ, servitium ac cultus divinus. Aliqui pro fine particulari habent paupertatem, alii silentium, quidam contemplationem, nonnulli mortificationem, quidam denique divini Verbi prædicationem ac juventutis in litteris quâ sacratoribus quâ humanioribus instructionem, non quod solis illis attendant, sed quod peculiari studio suis propriis finibus invigilent, ut eos assequantur. 2. Ecclesiam esse *Reginam* illam, quam Reginus Psaltes describens, (b) *Varietate*, id est, ut S. Bernardus explicat, (c) *multis & dissimilibus Religiosis Ordinibus circumdatam*, asserit. 3. Ecclesiam esse *vestitum illum aureum*, de quo idem Propheta, & *Tunicam Josephi polymitam*, [d] id est, pulcherrima

varietate distinctam, at *Unam*, unitate scilicet charitatis, *variā* verò, operationum multifaria divisione. Et meritò, cùm enim fieri nequeat, ut una Religio ac una vivendi norma omnibus accommodetur: ob varias hominum complexiones & propensiones, necessum fuit, plures Religiones ac Spiritus Sancti instinctu institui, ut per earum alumnos universa Ecclesia per varia ministeria juvetur, cedítque hæc Religiosorum Ordinum varietas ad majorem Ecclesiæ tum decorem tum fortitudinem.

## P U N C T U M II.

**E**xpende. Ordinis *Canonicorum Regularium* fines magis generales, aliisque Religiosis Ordinibus communes. 1. Ut hunc statum amplexi, certa evadant pericula salutis, quæ secum affert status sæcularis. 2. Ut sint securi de sua salute & vita æterna assequenda, juxta præscriptas Regulas suas vivendo. 3. Ut satisficiant Deo pro peccatis in sæculo commissis, *nulla enim satisfactio adequari potest*, Angelico Doctore teste, (*e*) *Pœnitentiæ Religiosorum, qui se & sua ex integro Deo dant*. 4. Ut similem Christo Domino ac ejus discipulis vivendi modum teneant, servando ejusdem consilia præcipua ac perfectiora. 5. Ut in Religione sanctiùs perfectiùsque Deum colendo & amando, plura bona opera accumulent, ac post mortem majorem gloriam in cœlo acquirant. 6. Ut per

votorum & Regulæ observationem propriæ perfectioni insistant, eamque hoc modo adipiscantur.

PUNCTUM III.

**E**xpende. Ordinis *Canonicorum Regularium* rationem constitutivam & distinctivam seu finem præcipuum ac directum exprimi à S. P. *Augustino* (f) dum suos Clericos duas res professos asserit, *sanctitatem* scilicet & *Clericatum*, Sanctitatem quidem interiùs ad se, Clericatum verò, id est, animarum curam propter populum. Similia ferè habet Petrus Blesensis, verius Petrus Comestor noster, dum (g) mysticè exponendo unctiones, quæ fiunt in consecratione Ecclesiæ, *Canonicos Regulares* ita alloquitur: *Duodenariam unctionem vestram* possumus intelligere *imitationem Apostolicam*, quam proposuistis vobis, alii enim *Cœnobia*, quos *Monachos* vocamus, ne alter alterius onere premeretur, singularem quisque sui custodiam elegerunt, inde est, quod nec baptizare, nec aliis predicare, nec pœnitentias eis injungere licet. Vos autem imitatores *Apostolorum*, ac multitudinis, quorum est cor unum & anima una, vobis & aliis providere potestis, & debetis; hæc sunt elementa *Religionis vestræ*, quibus *initialem Canonicum* imbui oportet.

## PUNCTUM IV.

**E**Xpende. Primarias quasdam Regularium Canoniorum functiones. 1. Est, ut aris assistentes incruentum sacrificium, quod S. Francisco Salesio est (h) *exercitiorum spiritualium sol, centrum Christianæ Religionis, cor ipsius devotionis, anima pietatis, denique ineffabile mysterium, quod ipsammet divinae charitatis abyssum comprehendit, eâ qua par est, reverentiâ, devotione ac munditiâ mentis offerant. Quis enim adeo impius erit, verba sunt S. Augustini* (i) *qui lutosis manibus sanctissimum Sacramentum tractare presumat? Si erubescimus ac timeamus Eucharistiam sordidis manibus tangere, plus debemus timere ipsam Eucharistiam intus in anima polluta suscipere.* 2. est: Ut Sacramenta, puta Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, extremæ Unctionis, diligenti cura hominibus, tanquam dispensatores fideles, administrent. *Laborent, ex mente ejusdem S. Patris nostri* (k) *ædificantes omnes, qui in Ecclesia prædicant verbum Dei, ministri Sacramentorum Dei.* 3. est, ut rudiores ac ignaros fidei Christianæ elementa, Christi Domini exemplo, edoceant. *De me ipso testis sum, inquit S. Legislatores noster, (l) aliter atque aliter me moneri, cum ante me catechizandum video eruditum, inertem, civem, peregrinum, divitem, pauperem, privatum, honoratum, in potestate aliqua constitutum, illius*  
aut

aut illius gentis hominem illius aut illius a-  
 tatis aut sexus, ex hac aut illa secta, ex hoc  
 aut illo vulgari errore venientem, ac pro di-  
 versitate motus mei sermo ipse, & procedit, &  
 progreditur, & finitur. Et quia cum eadem om-  
 nibus debeatur charitas, non eadem est omnibus  
 adhibenda medicina, ipsa autem charitas alios  
 parturit, cum aliis informatur, alios curat edi-  
 ficare, alios contremiscit offendere, ad alios se  
 inclinat, ad alios se erigit, aliis blanda, aliis  
 severa, nulla inimica, omnibus major. 4. est:  
 Ut Verbum Dei è cathedra explicent. Prædi-  
 cate, hortatur Africanus Præsul noster, (m)  
 veritatem, annuntiate Christum paganis, Eccle-  
 siam hæreticis, omnibus salutem. 5. est, ut au-  
 res, peccata sua in homologeteriis confitenti-  
 bus, præbeant, peccatorésque ad agenda pœ-  
 nitentiam, morúmque conversionem sedulò hor-  
 tentur, atque eorum animas sacro absolutionis  
 lavacro emundent. Rogamus vos, inquit S.P.N.  
 (n) ne in vacuum gratiam Dei recipiatis: fa-  
 cite ministerium vestrum fructuosum. Dei agri-  
 cultura estis, extrinsecus accipite plantatorem  
 atque rigatorem, intrinsecus vero incrementum  
 dantem. Corripiendi sunt inquieti, pusillanimes  
 consolandi, infirmi suscipiendi, contradicentes  
 arguendi. Sacerdotis siquidem est, eodem te-  
 ste, (o) in pace populum admonere, quid debeat  
 agere: populi est in humilitate audire, qua mo-  
 net Sacerdos,

U 5

PUN-

## PUNCTUM V.

**E**Xpende. Post actiones, animarum curam spectantes, potissimam *Canonicorum Regularium* functionem esse, Deum in terra hymnis & canticis publicis, beatorum instar in cœlis, die noctûque statis temporum intervallis in sacro odæo sive Choro laudare. Insinuare id videtur *S. Augustinus* illis in *Regula*, (p) verbis: *Orationibus instate horis & temporibus constantis*. Haud dubiè non privatis domi tantùm, sed publicis in Ecclesia, neque solummodò simplici & æquali sed modulata, atque ut olim apud *Afros* & in *Alexandrina Ecclesia*, ita nunc quoque apud pleròsque, choro destinatos ordines, recepto more, ad *Cantum Choralem* sive *Gregorianum*, ut vocant, inflexa voce. Subjungit enim: *Et nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum, quod autem non ita scriptum est, ut cantetur, non cantetur*. Et alibi ait: (q) *eum vacat à lectionibus, disputationibus, concionibus, nihil meliùs aut sanctiùs fieri, quàm psallere in Ecclesiis*. Et jure quidem: expedit enim, ut alternis horis, modò populis erudendis, modò Deo, divinisque laudibus intendatur. Videre id est in *Apostolis*, *Therapeutis*, cæterisque sanctæ Ecclesiæ *Doctoribus*, qui modò sese prædicationibus profundebant, modò ad sacram psalterii melodiam, *Angelorum choris* immixti sese prudentissimè colligebant. Est

verò



verò psalmodia juxta eundem S. Doctorem, (r) primum incipientibus elementum, proficientibus incrementum, perfectis stabile firmamentum, opus Angelorum, exercitium cœlestium, spirituale thymiana. Loquens verò de Canticis: *Delitia spiritus nostri sunt*, inquit (s) *divina cantica, ubi & fletus sine gaudio non est*. Et (t) *Canticum res est hilaritatis, ac si diligenter consideremus, res est amoris: cantare verò juxta eundem, (u) amantis est*. Vox hujus cantoris feror est sancti amoris. Porro hymnorum notionem describens idem S. P. N. (w) *Hymni, ait, sunt cantus continentes laudem Dei. Si sit laus, & non sit Dei, non est hymnus. Si sit laus Dei, & non cantetur, non est hymnus. Oportet, ut si sit hymnus, habeat hæc tria, & laudem, & Dei, & Canticum*. Angelicum certè est chori officium, quo Deus à nobis die noctûque laudatur. *Angelorum militia est*, Ambrosio (aa) *semper esse in Dei laudibus, non enim cessant clamare quotidie, una voce dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus*. Teste S. Hieronymo (bb) *Quod faciunt Angeli in cœlis, hoc Clerici faciunt in terris*. Quid ergò beatiùs atque feliciùs quàm Angelorum choros in terris imitari? O verè admirandi Magistri sapiens institutum, exclamat cantus Ecclesiastici amantissimus Augustinus, (cc) *ut simul cantare videamur, & quod ad utilitatem anima pertinet, doceamur!*

Do-

## Documenta.

**O** Religioſe Canonice, en ſpiritum, quo imbutus eſſe debes: *devotionem exemplarem* illum appellavit Alanus noſter, [dd] En actiones tuas, à te in domo religioſa exercendas, quas non malè quis *charitatem obſequioſam* cum eodem Alano indigetaverit. Ut verò devotio hæc exemplaris Chori functiones potiſſimùm reſpicit, ita vel maximè te diſcere oportet, quæ inter cantandum & pſallendum in ſacro odæo obſervanda. Apophtegma fuit Eminentiffimi S. R. E. Cardinalis Franciſci Rupifucaldii, *Proprium Canonici Regularis eſſe, choro die noctûque intereſſe*, haud dubiè non otioſè ibi ſedendo, aut ſtando, vel etiam confabulando, ſed Deum totis viribus mente ac voce laudando in hymnis & Canticis. Chorus enim, ſi locum ſpectemus, ab orando *Oratorium* dicitur: Si functiones inibi peragendas attendamus, *Chorus*, juxta S. P. N. [ee] *conſenſus eſt cantantium, non quaſi avium voce, ſed humana ratione*, nam ut ſcribit idem S. Doctor, [ff] *& meruli & pſittaci & corvi & pica & hujusmodi volucres, ſæpè ab hominibus docentur ſonare, quod neſciunt. Scienter autem cantare, natura hominis divina voluntate conceſſum eſt.*

Duo autem ſunt, quæ ſcienter nos cantare faciunt, *interna ſcilicet mentis attentio, & exter-*

ter-

terna corporis compositio, cum enim Psalmodia nihil sit aliud, quam oratio modulata, ea requiritur ad eam attentio, quæ ad orationem vocalem simplicem, ut scilicet illud volvatur mente, quod voce profertur, juxta id D. Pauli, [gg] *orabo spiritu, orabo & mente*, id est, non tantum aurâ in pectus inspiratâ & expiratâ, verba in ore formata effundendo, sed etiam corde & mentis sensu rem cantatam percipiendo. Nos, inquit S. P. N. [hh] *qui in Ecclesia divina eloquia cantare didicimus, simul etiam instare debemus, ut quod consona voce cantavimus, sereno etiam corde nosse ac videre debeamus*. Idque eo fine, ut sanctus amor Dei in corde cantantis succendatur. Hoc igne accensus erat Alanus de Solminihac, dum in choro tanto cum fervore caneret, ut ex inflammato ipsius vultu gaudium, quod in corde suo gerebat, notaretur, atque si solum aspiceretur, judicari facile posset, interiùs eum planè ardere. Delitiæ ipsius erant, interesse divino officio, quod decantare, uti ipse asserbat, esset cœlestem gloriam anticipare, idque prævenire, quod nos æternum facturos cum Beatis, in Deo collaudando solum occupatis, speramus. Et quia ex Hugone nostro de S. Victore [ii] sciebat, *Orationem perfectam non esse, quam meditatio non prævenit*, ad hanc actionem se parabat consideratione divinarum  
per-

perfectionum, modicæque illius reverentiæ, quam ejus Majestati creaturæ exhibent. [kk]

Externus verò corporis habitus ad leges modestiæ & pietatis ita compositus esse debet, ut quisvis intuens facile judicare valeat, psallentem esse interiùs verè attentum & devotum, Alani ad instar, cujus tanta erat in sacro odæo modestia, ut omnibus admirationi esset, & indevotissimis etiam aliquem pietatis sensum instillaret. R. P. Innocentium Keferloher Decanum Dieffensem die 22. Octobris anno 1652. sanctissimè defunctum, in choro existentem si quis vidit, *Angelum* ipsum dixisset. Præter hanc modestiam, oculi præcipuè in sacro odæo sunt frændandi, ne licentiosè hinc inde vagentur. De impudico aspectu hîc taceo, quamvis interdum luxuria non tantùm prata, sed etiam Ecclesias perambulet. Absit tamen, ut homo religiosus vel Ecclesiasticus, impudici oculi jactu vel nutu se in loco sanctitatis commaculet, quod S. Hieronymus valdè in Sabiniano fuit execratus. *Paveo*, inquit [ll] & horresco, *ponens tibi ante oculos opus tuum, stabas in choro psallentium, & impudicis nutibus loquebaris, prò nefas! non possum ultra progredi.* Abstinentium etiam à risu, mussitatione, & non necessaria locutione, uti etiam à sibilo, tussi, screatu, & quocunque sonu ac strepitu, qui aliorum devotionem interturbare possit. Fortè ty-

rones

rones quosdam sub officio divino risisse conspici-  
catus Alanus noster, gratius sibi futurum fuisse  
se affirmavit, si pugione transfossus fuisset, quàm  
ut ridentes aspiceret, nec enim hanc sui offen-  
sam tam gravem futuram; imaginari sibi se non  
posse, qui in loco tam verendo aliquis absque  
dementia nota ridere queat. [mm]

Ad hanc externam devotionem quoque per-  
tinet exacta cæremoniarum, ut genuflexionum,  
inclinationum observatio. Ad hæc tria etiam  
quoad *vocem* in choro est attendendum. 1. Ut  
sit fortis & excitata, non segnis ac somnolenta.  
Ex sententia S. P. N. [nn] *qui cantat laudem,*  
*non solum laudat, sed hilariter laudat.* In vo-  
ciferatione psallere jubet vates Regius [oo] qua-  
re non sufficit aliquid pigra voce sonare, vel  
rauca de nare aliquid murmurare, vociferari  
oportet & vires omnes tam corporis quàm ani-  
mæ in Dei laudem impendere. 2. Ut debito  
modo sit tarda, distinctèque verba omnia pro-  
ferens. Maledicta lingua dolosa, quæ diligit  
*verba precipitationis.* 3. Ut sit concors. *Si in*  
*ehoro cantamus,* verba sunt ejusdem S. P. N.  
[pp] *concorditer cantemus.* Sit & gravis, hoc  
est, non levis, non affectata, cum blanditie  
modulata, ita tamen ut caveatur in cantando  
rusticitas, ac quævis alia confusio & dissonan-  
tia. *Cantus sit plenus,* inquit S. Bernardus [qq]  
*gravitate, nec lasciviam resonet, nec rusticitate-  
tem.*

tem. Sic suavis, ut non sit levis, sic mulceat aures, ut moveat corda. Nonnemo Chorales observantias sequentibus complexus est verbis

*Cum Domino psallis, psallendo sequentia serves:  
Mens sit sublimis, pes junctus, visus in imo,  
Erige cor sursum, profer bene, percipe sensum,  
Dum licet, in medio fac pausam, nec trahere  
finem,*

*Et non posterior versus prius incipiatur,  
Donec anterior cantando perficiatur.*

Porro cum præter cantum Gregorianum in Ecclesiis nostris pro majori divini cultus apparatus cantus ad numeros musicos redactus permittatur, *sapienter enim, ex sententia Africani Præfulis [rr] exerceri potest à sapientibus Musica, adhibeanturque tam organa, quæ follibus inflantur, quàm alia instrumenta musica, vitanda in iisdem omnis levitas, corporis, histriorum instar, agilitas, ac vanæ gloriæ aucupandæ cupido. Cave, ait Doctor mellifluus, [ss] ne sicut delectaris altitudine vocis, delecteris elatione mentis, non querit Deus vocis lenitatem, sed cordis puritatem. Monet prudenter Cereemoniale Romanum ad usum Congregationis Gallicanæ nostræ anno 1659. editum, [tt] curandum, ut sonus organi sit gravis & devotus, ac minimè ludicrus ac prophanus, & ne cum eo proferatur cantus, qui ad officium, quod agitur,*

non

*non spectet.* V.P. Albertus de Altissimis noster, qui, ut erat artis pulsandi organa peritissimus, ita eum exercere in Ecclesia nostra S. Bartholomæi Vicentina iustus, ad postremum vitæ annum impigrè ac magna animi devotione munus impositum peregit, indignum se reputans, qui officio, nonnisi ab Angelicis phonaicis præstando, fungeretur. Inflammatus verò totus fuit, uti refert vitæ illius scriptor R.D. Paulus Æmilius Saracenus noster, (uu) dum organa pulsaret, maximè quando sub SS. Missæ Sacrificio ad hymnum Angelicum illud sonare debebat, ubi cum ipsis cœlestium genitorum Choris Christi ortum mortalibus annuntiare sibi videbatur. Quod ipsum sanctissima Natalis Dei hominis nocte faciebat, dum ob mentis oculos Servatorem nostrum in præsepio jacentem ponens, eundem cum pastoribus adorans, jubilosum illud *Gloria in excelsis* cum Angelis concineret.

Cæterùm cum instituti *Canonicorum Regularium* ratio postulet, ut aliis divinas laudes in choro decantantibus, alii in agros ad promovendam proximi salutem excurrant, è pulpitis contra vitia decertent, Sacramenta fidelibus administrent, verbo, *curam animarum* exerçant, adeo Ordini *Canonico - Augustiniano* annexam, ut sine illa subsistere non possit, teste P. Francisco Bordonio Minorita, (a 3.) *spiritu Elia* seu charitate obsequiosa, id est, amore & zelo salu-

lutis animarum, te ô Religioſe Canonice reple-  
 tum, atque ea doctrina instructum eſſe oportet,  
 quâ dignè muneri tuo ſatisfacere, onus-  
 que paſtoralis officii, iſſis Angelorum humeris  
 formidandum, ferre poſſis. *Intelligent Paſtores,*  
*inquit S. P. N. (b 3.) ad eorum officium pertinere*  
*doctrinam. Quo modo enim, eodem teſte,*  
*(c 3.) quis docebit, vel qualiter paſtor eſſe poterit,*  
*ſi pane vita gregem ſibi commiſſum paſcere*  
*ignoret? Non erubeſcat diſcere neſciens, quod*  
*ignorat, nec ſciens tardus ſit docere, quod novit.*  
*Divinas Scripturas lege, monet S. Hieronymus*  
*(d 3.) imo de manibus tuis ſacra lectio nunquam*  
*deponatur: Diſce, quod doceas, obtine eum, qui*  
*ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut*  
*potens ſis exhortari in doctrina ſana, & contra-*  
*dicentes arguere. Lectioni ſacræ ac ſtudio literarum*  
*junge meditationem. Hæc ſiquidem*  
*ex ſententia Doctõris noſtri (e 3.) parit ſcientiam,*  
*ſcientia compunctionem, compunctio devotionem,*  
*devotio commendat orationem. Meditatione*  
*aſſidua homo ad cogitationem ſanam illuminatur:*  
*in compunctionem ex conſideratione malorum*  
*ſuorum ducitur, & occulto, ſed magno cordis*  
*dolore tangitur. Nec deſit vita exemplaris &*  
*virtuoſa facilè probatum habetur, & ſuadetur,*  
*ſi à magiſtro fieri videatur: Parùm enim eſt*  
*verbis agere, & exemplis agendum eſt,*  
*verba ſunt S. Praſulis Africani. (f 3.)*

Plu-



Plura de officio Concionatorum, Confessorum docebunt te Ludovici Abelii Sacerdos Christianus & ipsius Medulla Theologica, S. Francisci Salesii Regula, Pauli Beurier nostri speculum Christianæ Religionis & ipsius compendium Rhetoricæ Christianæ, Hieronymi à Hirnhaim Sermo S. Norberti enucleatus. Lege etiam S. P. N. epistolam 148. scriptam ad Valerium de officio pastorali, quam propè finem hujus libelli adjectam invenies. Quia verò nihil ita Religiosum decet, quàm eo spiritu duci, quo suus sanctus *Legislator* imbutus fuit, omnem conatum adhibe, ut spiritus *Augustini*, id est, *lenitatis & mansuetudinis* in te vigeat. *Si quis Spiritum Christi*, scribit ad Romanos (g 3.) D. Paulus, addo ego: *Augustini, non habet, non est ejus. Canonicus Regularis es, spiritum*, huic tuo ordini proprium, atque in dissertatione per P. Claudium Molinetum nostrum conscripta, expressum, possidere stude per frequentia ad Deum suspiria ac ferventes preces. Paradigma sit,

Excita Domine in anima mea spiritum, quo tibi Beatus *Augustinus* & alii Sancti *Canonici Regulares* servierunt, ut eodem & ego repletus, studeam amare, quod amârunt, & opere exercere quod docuerunt!

Hanc dissertationem bono tuo in calce operis hujus positam reperies.

(a) Rom. c. 12. v. 4. (b) Psal. 44. (c) Apolog. ad Guil. Abb. col. 2. (d) Gen. c. 37. (e) Quodlib. 3. art. 3. (f) Serm. 1. de com. vit. Cler. (g) Serm. 36. de Dedic. Eccles. cujusdam Ord. Canon. in Bb. PP. recensione Ioan. Busat. (h) in Phil. p. I. cap. 14. (i) Serm. 244. de temp. (k) in Psal. 126. (l) lib. de cate. rud. c. 15. (m) in Ps. 55. (n) Serm. 39. ex add. per Sirmondum. (o) Serm. 166. de Temp. (p) cap. 2. (q) Epist. 19. cap. 18. apud Antonium Carraciolum Cler. Reg. p. I. Synopsis veter. Religios. fol. mihi ss. (r) in prologo super Psal. 10. 8. (s) in Psal. 144. (t) Serm. 2. de divers. (u) Serm. 256. de temp. (vv) in Psal. 72. (aa) Ep. 82. (bb) in Psal. 155. (cc) in prologo Psal. post medium. (dd) vita lib. I. c. 10. (ee) in Psal. 149. (ff) in Psal. 18. (gg) I. Cor. 4. (hh) in Psal. 149. (ii) tract. de orat. (kk) lib. I. c. 10. (ll) Ep. 48. (mm) lib. I. c. 10. vita. (nn) in Psal. 72. (oo) Psal. 32. (pp) in Psal. 149. (qq) Epist. 312. (rr) lib. 4. de doct. Christ. c. 7. (ss) med. c. 11. (tt) pari. I. c. 11. a. 8. author hujus caeremonialis est P. Bernardus Cagnet Can. Reg. Congreg. Gallicana. (uu) lib. I. vita c. 10. (a 3.) tract. de profess. c. 1. n. 151. (b 3.) Epist. 59. ad Paulin. resp. ad 4. quast. (c 3.) Serm. 38. de temp. (d 3.) Epist. ad Neptianum (e 3.) lib. de spirit. & an. c. 50. (f 3.) quast. vet. & nov. test. quast. 49. & in Psal. 119. (g 3.) c. 8.

## CONSIDERATIO III.

*De Regula S. Augustini & ejus observatione.*

Quicumque hanc Regulam secuti fuerint, pax super illos & misericordia. ad Gal. 6. v. 16.

### PUNCTUM I.

**E**Xpende. S. Augustinum jam senio confectum, clericis suis, quibuscum in domo Episcopali

li communi mensa, communique victu secundum normam à sanctis Apostolis constitutam, atque à Divo Luca in horum actis conscriptam, Regulas quasdam, quarum initium: *Hæc sunt, quæ ut observetis in monasterio constitui*, ex divinis litteris depromptas, servandas tradidisse, quas deinde triginta alii Religiosi ordines tenendas, non sine divini Numinis nutu, cæloque approbante, acceperunt. Cogitanti enim Sancto illi Tankelsenium hæreticorum Mastigi Magdeburgensiumq; Præsuli Norberto, qualem à se recens erecto Præmonstratensium cœtui *Regulam*, vivendi que modum præscriberet, adstitisse fertur *D. Augustinus*, librum ipsi porrigens, atque in hæc verba astatus. *Ecce habes Regulam, quam ego conscripsi, sub qua, si bene militaverint Confratres tui, filii mei, adstabunt securi in extremi iudicii horrore.* (a) Cùm visendam se præbuisset Cælorum Regina septem illis Florentinis civibus, sacri fervorum B. Mariæ Ordinis primipilis, una manu atrii coloris vestem, altera *S. Augustini* leges tenuit, dedique iisdem, has ut vivendo moribus exprimerent, illam, ut dolorum suorum, quibus hujus Marianæ familiæ alumni præ reliquis devotissimi sunt, piè ac dolenter memores essent. (b) Christus ipse præter constitutiones, quas *S. Birgitta*, è regio Suecorum sanguine oriunda, utriusque sexus sodalibus præscripserat, eos Re-

gulam quoque *S. Augustini* sequi, atque sub eadem illas à Romano Pontifice, suo in terris Vicario, approbari præcepit.

## PUNCTUM II.

**E**xpende. Leges à *S. Augustino* conscriptas, clericisque ac sanctimonialibus quibus germana illius soror *Perpetua* nomine, præerat, datas, *Regulam* ac *Speculum Clericorum* vocari, *Regulam* quidem ex mente Hugonis nostri de *S. Victore*, (c) *Quod rectè regant, vel quod rectè doceant*. Ex sententia *P. Joannis Trulli* nostri, (d) *Regula* Norma appellatur, quasi mensuram regens, quâ linea diriguntur. *Speculum* verò dici, quia in illis, juxta eundem Hugonem, (e) *tanquam in speculo inspicere possumus, quales sumus, sive pulchri, sive fædi, sive justî, sive injusti, utrùm quisque nostrum regulariter vivat, utrùm proficiat, utrùm Deo placeat, an displiceat*. Unde illa *Joannis Trulli*, (f) apposita *Regula Augustiniana* descriptio, quod sit lex & præscripta forma, quæ humanas actiones in debitum finem beatitudinis cœlestis ducit: & præterea mensura ac exemplar æternæ, naturalisque legis posita, atque in Dei cultu exercendo maximè occupata. Unde fortassis hoc fuit præsignificatum, quando *B. Monica* longè ante conversionem, filium suum *Augustinum* stantem vidit, non in horto humive, aut per gulâ aliquâ, sed super *Regula* lignea, quasi dem-

mon-

monstraretur, eum sacris mysteriis Catholicorum initiatum, Religiosæ ac sanctioris vitæ *Regulam* aliis esse daturum.

P U N C T U M III.

**E**xpende. *Regulæ Augustiniana*, quæ per antonomasiam *Canonica* à pluribus Conciliis appellatur, varia Elogia; Nam comprimis non tam ab *Augustini* sapientissimo ingenio excogitatam, quam distante divino Numine conscriptam esse, clarè satis Christi Domini verba ad S. Birgittam insinuare videntur, dum eam ita erudit. (g) *Omnes Regule, quas amici mei incoperunt, & ipsi personaliter tenuerunt, & servaverunt, aliósque omnes efficaciter docuerunt, & porrexerunt, non fuerunt dictata & composita ab illorum intellectu & humanâ sapientiâ, sed aspiratione ejusdem Spiritus Sancti.* Eugenius Papa IV. in Bulla, quâ *Canonicos Regulares Ecclesiæ Lateranensi* restituit, *Regulam S. Augustini Divinam* appellat, ad vivum Apostolicæ vitæ exemplar conformatam & compositam. Joannes Trullus noster, (h) *methodum, universis anima morbis curandis utilissimam*, vocat. Joannes la Paige Canonicus Præmonstratensis, (i) *Lucidum totius Angelicæ & Apostolicæ perfectionis speculum* nominat. Abbas Gabriel Pennotus noster, (k) *imaginem, ex qua Christiana religiositas atque urbana civilitas exactissima refulget*, appellat. R. P. Cornelius Lancilotus

Eremita Augustinianus S. P. N. regulam debitam  
 laudibus extollens : „Hæc, inquit (1) est pri-  
 „ma & princeps illa regula, quæ dilapsam Apo-  
 „stolicæ communionis observantiam, in Eccle-  
 „siam postliminio revocavit. Hæc modum per-  
 „fectè Deo vivendi docet : hæc eadem ex in-  
 „tima medulla Apostolicæ perfectionis desum-  
 „pta, auxilio fuit deinceps S. Benedicto, atque  
 „cæteris Religiosorum authoribus, qui non  
 „paucæ ex *D. Augustini* Regula in suas leges  
 transtulere, estque hæc eadem vivendi norma  
 „visa omnibus cum modesta & religiosa, tum  
 „percommoda & observatu facilis, quando  
 „nec nimis arcta suis præcipit, neque rursus  
 „nimis laxa permittit. „ Matthæus Boslus Ve-  
 ronensis ex Congregatione Lateranensi Regularis  
 Canonicus (m) alia inter encomia Regulae  
*S. Augustini*, ita sentit : *Hæc ad se venientibus*  
*portum tutissimum aperit, & iter in cælum di-*  
*rectissimum struit, nihil alligans, nihil præcipiens,*  
*nihil vetans non prorsus rectè atque sanctissimè.*  
*Nec eadem mollior, nec horridior, sed planè sin-*  
*gulis congruens, ab Discipulorum Christi exem-*  
*plo, vitæque detracta, mediocritatem illam te-*  
*neus, quæ inter nimium & parvum posita jure*  
*laudatur. Contemplationi deserviens, actionem*  
*nec deserens, & quod legis est proprium, non di-*  
*sputans, sed breviter sanè præcipiens, admonens-*  
*que quod quisque sequatur, quod agat, quæ in*

*Patres veneratione, charitate in fratres, mansuetudine in subditos, quomodo vestibus, quomodo cibis, quo cultu, quo ritu, quo ordine singulis vel fruendum vel utendum sit rebus.*

## PUNCTUM IV.

**E**Xpende 1. Finem S. Augustino in conscribendo Regulas præfixum fuisse exactam integramque illarum observantiam, juxta illud Deuteronomii (n) *Implete universa, quæ scripta sunt legis hujus, quia non incassum præcepta sunt vobis, sed ut singuli in eis viverent.* Indicant hoc verba S. Legislatoris nostri (o) scribentis. *Hæc sunt, quæ ut observetis, præcipimus in monasterio constituti.* Et, (p) *ut cuncta ista observentur, & siquid minus servatum fuerit, non negligenter prætereatur, sed ut emendandum, corrigendumque curetur.* Nec non, (q) *Donet Dominus, ut observetis hæc omnia.* Scriptæ sunt etenim Regulæ, ut eas calleamus, atque juxta illas depravatos mores nostros componamus, corrigamus, neutiquam eas temerè ac pro libitu transgredientes, cum minima earum violatio, si non offensam, displicentiam certè Deo creet. 2. *Augustinianam Regulam* observare volenti indagandum minimè esse, mortalisne an venialis noxæ reus sit judicandus ille, qui hæc majoris vel illam minoris momenti Regulam infringit, omnia enim ibi magna cunctanda, ubi de adeptione virtutum & animæ salute

lute agitur: Neque unquam quispiam in via religiosa profectum capiet, qui non æquè peccata levia ut gravia, imperfectiones ut delicta vitaverit. *Quæ enim parva esse videntur debita, ex mente S. Ephrem: (r) non afferunt exiguum aut qualecûnque detrimentum.* Minimorum neglectu florentissimos etiam Religiosos cœtus relaxari assererat sapientissimus æquè ac Religiosissimus Alanus de Solminihac, atque modicas regularum infractiones evitendis illis sufficere, minimarum observationem esse unicum remedium ad fervorem conservandum, nec Religionem aliquam aliter nisi hac ratione subsistere posse. (s)

## Documenta.

**A** Ge sis, ò *Religiose Canonice!* ausculta præcepta magistri tui: *liber* sunt, ut in eo legas, quæ ad salutem tibi, atque in illo mediteris die ac nocte: nunquam recedat is è memoria tua, nunquam è manu. *Speculum* sunt, ut in eo vultum nativitatis tuæ, id est, intentiones ac opera tua intuearis, an ad amissum illorum facta. *Speculum hoc*, inquit S. Pater tuus (t) *non habet splendorem mendacem: habet splendorem non adulantem, nullius personam amantem. Formosus es, formosum te videas. Fœdus es, fœdum te ibi videas: sed cùm fœdus accesseris ad speculum, ad te redi. Non fallis te speculum, tu te noli fallere. Indica de te,*



contristare de tua fœditate, ut cùm abieris, & discesseris tristis, fœdus, correctus, possis redire formosus. Formositas hæc ex integra & exacta regularum tuarum observatione procedit. Custodi legem, monet Siracides (u) atque consilium, & erit vita anima tua. Parùm enim prodest scire Regulam aut leges, & negligere easdem, vel vitam tuam juxta eas in componere, cùm solummodò factores, non auditores tantùm legis justis sint apud illum, qui Sol justitiæ appellatur, (w) atque is plagis multis sit afficiendus, qui Domini sui voluntatis conscius, eandem minimè implet. Quod Moyses de præceptis divinis in decalago contentis populo quondam electo dixerat, (aa) id ò Religiose Canonice, de Regula tuæ præceptis, & loci statutis, ceu Augustiniana Regula interpretibus, dictum putata. Discite ea, & opere implete. Hujus te geminatum à regularum observatione deductum nomen *Canonicus Regularis* admonet. Religiosi quoque nominis notio, quod Deo religatum sonat, eadem calcaria addat. Sint tibi cum pientissimo illo Garsensis Collegii in Bavaria Regulari Canonico P. Joachimo Endrys hæc tria charissima, Regula, Rosarium B. Mariæ, & Thomæ Kempensis de imitatione Christi libellus, crucem ferre docens. (bb) Uti enim in cruce salus, ita quoque secundùm leges vivere, ex ipsius Ethnici Philosophi sententia: (cc) est ipsa

ipſa ſalus, neque enim alia ratione vitam diligere poteris, & dies videre bonos, niſi Regularum & Conſtitutionum tuarum ſis diligens obſervator. *Regula Auguſtiniana* præcepta vitalia ſunt, quia veram vitam religioſis obſervatoribus conferunt. Neque tibi perſuadeas, te vel in decretorio illo die coram divino tribunali, juxta *S. Legislatoris* tui datam Præmonſtratenſium Patriarchæ *D. Norberto* fidem, ſecurè adſtiturum, aut mercede olim in cælo donandum eſſe, quod ſub *Regula S. Auguſtini* vixeris, niſi illius præſcripta integrè ſervaveris. Quod ſi verò per oblivionem aut aliam cauſam aliquid neglexeris, aut quidpiam aliud tibi deeſſe videris, de præterito dole, de futuro cave: atque ut debitum tibi dimittatur, Deum ex corde roga, appendendus es enim olim in ſtatera *Regulæ* tuæ, vide ſis, ne minùs habens inveniaris! O quantum tunc æſtimabitur regularis obſervantia, quæ, ut verbis *S. Bernardi* utar: *tam ſecuros, imò glorioſos faciet, in illo ſingulari fragore, in illo tremendo examine meritorum, in illo tanto discrimine judiciorum. Ubi alius quicumque juſtus vix erit ſecurus.* Huic exactæ Conſtitutionum ac *Regulæ* obſervationi, uti in vivis ſtudioſiſſimus fuit noſter *S. Joannes Cænobii Bridlingtonienſis* in Anglia Prior, ne minimam quidem transgreſſus, ita & moriens eandem ſuis Canonicis Regularibus efflictim

com-

commendavit, atque ipse ultimùm decumbens, cum mortem sibi imminere cœlitùs didicisset, nihilominus de *Consilio Medici*, ex præscripto Regulæ nostræ jubentis, (c 3.) *illud fieri sine murmure, quod faciendum est pro salute* [ scilicet corporali ] pharmacum sumpsit.

Disce 2. cum *S. Legislator* Regulas non negligenter præteriri, sed neglectores emendari corrigive velit, quam culpam harum infractores incurrant? Verùm quidem est, vi voti obedientiæ *Religiosum Canonicum* vel quemvis alium hujus *Regula professum* non teneri observare Regulam, licet vi voti hujus Prælato suo, secundùm Regulam quidpiam præcipienti morem gerere teneatur, sed eam aliquo modo etiam obligate, nemo prudens dubitare potest, cum à consilio regulam distingui perspicuum sit. Obligat proinde *Regula S. Augustini*, uti & *Statuta particularia* locorum aut Congregationum, sub nulla quidem culpa per se, ne quidem sub veniali, [ nisi hoc exprimatur, vel in materia votorum, aut aliarum legum, sive divinarum sive humanarum transgressio contingat ] sed sub sola pœna; quod satis colligitur ex præfatione Constitutionum Canonorum Regularium Gallicanæ Congregationis, in quâ hæc ponuntur verba. *Ne tamen ex his legibus nostris periculum conscientie pusillorum procreetur, & ut tranquillitati ac paci animarum consulatur, decla-*

ramus, nullas constitutiones nostras ad culpam obligare, sed tantum ad pœnam, nisi quod in eis continetur, aliunde præceptum esset lege naturali, divina vel Ecclesiastica, vel mandato Superioris, aut prohibitum ratione scandali aut contemptus. Similia habent Statuta Congregationis Lateranensis, [dd] ubi verba hæc benè pensanda: Nullus ex contemptu illas [Regulas & Constitutiones] transgrediatur, quia tunc, non solum pœna temporali, sed culpa & pœna spirituali, secundum communem sententiam Doctorum, obnoxius censeri debebit. Nostri Collegii S. Crucis Augustani Statuta à Paulo V. Romano Pontifice approbata, ita definiunt. Porro hæc Constitutiones, transgressores suos non obligant ad culpam, sed ad temporalem duntaxat Superioris discreti arbitrii pœnam infligendam, vel in Regula vel Statutis expressam, nisi hujusmodi transgressio rei ex natura prohibita, vel propter negligentiam, libidinem, inobedientiam, vel contemptum culpabilis redderetur, & quanto minus prædicta obligant ad culpam, tantò districtius præfidentes infligere debent transgressoribus pœnam. [ee] Solum ergò perfectionis detrimentum incurrit, qui Regulam vel Statuta sine contemptu violat, neque enim sub ulla alia obligatione Regula, vel à D. Augustino præscripta, vel à nobis suscepta est. Verùm hoc non obstante, quod Regula S. Augustini nullum sub cul-

culpa etiam veniali per se obliget, potest tamen  
 ejus transgressio interdum esse peccaminosa,  
 non venialiter tantum, sed etiam mortaliter:  
 non solum quando *Regula* formaliter contem-  
 nitur, sed etiam quando Religiosus ita negli-  
 gens est in regularium observantiarum custodia,  
 & in transgressione illarum assiduus, ut eas pa-  
 rum curare, & parvi aestimare videatur, qui  
 contemptus vocari solet *interpretativus*. Cer-  
 te Religioso non tantum per venialium pecca-  
 torum fugam, sed aliarum quoque Regularum  
 ac Constitutionum exactam observantiam quo-  
 tidie ad perfectionem, ex communi Doctorum  
 sententia, sub peccati mortalis reatu, contem-  
 dendum est, & qui hæc media notabiliter negli-  
 git, etiam perfectionem Religiosam, ad cujus  
 assecutionem, ceu finem, illa ordinantur, pa-  
 rum curare convincitur. *Non sunt contemnen-  
 da, quasi parva sint, sine quibus majora stare  
 non possunt*, inquit S. Hieronymus. Unde ve-  
 rissima est illa Dionysii Carthusiani sententia,  
 ac digna quæ integra hic ponatur: *Quamvis*,  
 inquit, [ff] *multa contineantur in regulis & sta-  
 tutis religiosorum, ad qua non tenentur de ne-  
 cessitate præcepti, ita quod statim mortaliter pec-  
 cent, quando in aliquo eorum fuerunt negligentes,  
 ut est observatio silentii, surgere alacriter  
 ad matutinas, otiositates vitare, inutiliter hinc  
 inde discurrere, atque similia, veruntamen con-*  
 sue-

suetudo excedendi, seu assiduitas delinquendi in istis, & non curare, nec emendare, non potest excusari à mortali peccato. Propterea Religiosi, in quibus parva aut nulla est rigoris ac discipline observantia, qui carnaliter vivunt, & mundanis vanitatibus pleni sunt, otiositati & loquacitati vacantes, in innumerabilia prorsus incidunt vitia, non venialia solùm, sed & mortalia quoque. Imò tota vita eorum est quasi quoddam peccatum continuum, quia & ipsa bona, quae agere videntur, tam negligenter, irreverenter & tepidè, tam inordinate ac indebitè agunt, ut magis sint offensiva Dei, quàm honorativa. Hæc & plura Dionysius. Quibus addo monitum à Christo Domino S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis inter viginti alia datum, tanquàm æquè tibi dictum: *Æstimabis tuam Regulam & Constitutiones ejus simul cum votis, quantum me æstimas.* [gg] B. Joannes Ostrowicanus noster, quem Beatorum Martyrum albo unà cum aliis 18. diversorum Ordinum viris, Gorcomiensibus dictis; die 24. Novembris anno 1675. Clemens X. Rom. Pontifex solemnè ritu adscripsit, Canonicum se Regularem S. Augustini, membrumque Windefemensis Congregationis esse considerans, nihil magis cordi habuit, quàm ut Regulam sancti sui *Legislatoris* statutaque suæ Congregationis exactissimè observaret, seipsum hujusmodi verbis, quæ calcaris loco ipsi erant affatus. Qui

Re-

Regularis audiam, si non mores Regula, quam sum professus, conformes habeam? Martyrium subiit priori sæculo die 9. Julii anno septuagesimo secundo, Briela in Hollandia à Geussis Calvinistis post plura tormenta laqueo tandem è trabe suspensus. (hh)

Quare & tu frequenter Regulas tuas perleges, & hoc modo perpendes: considerando verba ac sensum illarum: intendendo cognoscere, in quibus defeceris, & examinando, qua ratione in observatione illarum te habueris, eliciendo actum contritionis cum proposito emendationis. Externam quoque aliquam assumes penitentiam propter Regularum transgressionem vel publicè, petendo eam à superiori, vel privatim in tuo cubiculo. Denique perfectam earundem observantiam postulabis à Deo per merita sanguinis Christi & B. Mariæ Virginis ac S. P. Augustini. Idea sit

Accepta sit tibi Domine, quæsumus, vitæ nostræ totius ad tuum obsequium oblatio, ut tuâ gratiâ largiente per intercessionem Sanctæ Genitricis Mariæ & S. Augustini, per exactam Regulæ nostræ, observationem in illius inveniamur formâ, in quo tecum est nostra substantia.

(a) Surius tom. 3, 6. Junii. (b) P. Maria August. Romer. in servit. mar. l. 1. c. 6. (c) in Com. Reg. S. Aug. (d) lib. 4. de Can. in prælud. com. Regula nostræ, (e) loc. cit.

*cit. (f) loc. cit. (g) lib. 7. Revel. c. 20. (h) loc. cit. (i) Bib. Pram. lib. 2. sect. 3. (k) lib. 2. Hist. trip. c. 12. n. 8. (l) lib. 2. vitæ S. Aug. c. 15. (m) orat. de laud. S. Aug. (n) c. 32. (o) cap. I. Reg. (p) c. 8. (q) cap. 10. (r) adhort. I. ad Nov. (s) lib. I. c. II. vita. (t) Serm. 237. de temp. (u) Proverb. c. 3. (vv) Malach. c. 4. (aa) Deut. 6. 5. (bb) pientissimè obiit P. Ioachimus die 10. Maj. 1676. (cc) 5. Pol. c. 9. (c 3.) (dd) part. I. cap. 2. (ee) cap. 12. (ff) de Refor. Clausf. art. 6. (gg) P. Nic. Lanc. S. I. to. 2. opus. 26. fol. mihi 876. (hh) Ex vita ejus Lovanii 1675. impressa c. 3.*

## CONSIDERATIO IV.

### *De Canonicorum Regularium Vestibus.*

Omni tempore sint vestimenta tua candida. *Ecles. cap. 9. v. 8.*

#### PUNCTUM I.

**E**xpende. *Canonicorum Regularium*, cultui divino, functionibus Ecclesiasticis, ac curæ animarum speciali vocatione sua destinatorum, diversas vestes, mysticum sensum variasque morales doctrinas continentes. Primas obtinet vestis illa *linea*, Clericorum, sive in sortem Domini assumptorum, propria, quam in solemnium votorum nuncupatione accipiunt, atque temerè nunquam, utpote *externum professionis sue internæ signum*, deponunt, éstque eorum *habitus essentialis*. (a) Vestis hæc non humana inventione excogitata, sed Deo institutore re-

per-



perta fuit: ea olim in veteri lege cohonestabantur Levitæ, Sacerdotes & ipse Aaron. (b) In nova verò præter Christum summum Legislatorem nostrum, cujus *inconsultilis tunica*, ex gravissimorum Doctorum sententia (c) *linea* erat, desuper contexta per totum: illa tanquam vero Apostolico habitu usi fuerunt Apostoli, qua de re Machumetus in Alcorano, referente Nicolao Lyrano, Apostolos nuncupavit *Viros dealbatos*. Hos imitati in Alexandrina Ecclesia S. Marcus Evangelista, & S. Athanasius, in Hipponensi S. Augustinus, tunicas albas ex lino confectas deportare consueverunt, laudabili sanè & nunquam interrupta consuetudine, hodie omnibus Episcopis, Archi-Episcopis, uti legitimis Apostolorum Successoribus, S. R. E. Cardinalibus, atque ipso Romano Pontifice, Christi vices in terris gerente, ejusmodi vestem *lineam*, in sacris saltem, & dum divinis intersunt officiis, deferentibus, quæ juxta diversas Regionem varias quoque sortitur appellationes.

I. Dicitur *substantivè* & sine addito *Linea*, quia ex lino contexitur. 2. *Adjectivè Tunica Linea*. Nemo ait S. P. N. (d) *des tunicam lineam, nisi in communi, qualem decenter ferre potest Presbyter aut Diaconus*. 3. Appellatur apud Baronium, [e] *Ephod*. *Hæc linea sancta vestis & Sacerdotalis, quæ filii Aaron, qui omnes erant Sacerdotes, in divinis officiis indui consueverant,*

uti scribit Joannes Buschius noster [f] Ephod. nuncupatur, quæ verus jam est omnium Canonico-  
 rum Regularium habitus. 4. Nominatur sub-  
 tile linea vestis exteriora Canonicis Regularibus  
 Congregationis Windeslemensis. 5. *Camisia  
 Romana* à Benedicto XII. in constitutionibus Ca-  
 nonicorum Regularium. 6. *Superpelliceum* vul-  
 gò *Cotta*, Mentionem illius facit præter Odo-  
 nem Parisiensem antiquum Scriptorem, Step-  
 hanus noster Episcopus Tornacensis scribens [g] se  
 ad eum, Albinum Cardinalem putat, dono mite-  
 re *Superpelliceum novum candidum & talare*.  
 Differt superpelliceum à *Canisia Romana*, quòd  
 hæc manicas habeat strictas, illud latiores &  
 ampliores. 7. *Sarroccium* vocabulo apud nos  
 Germanos, Bavaros præsertim, Suevos, Au-  
 striacos & his vicinas Provincias usitatissimo,  
 quo indicatur usuale & domesticum *lineum* in-  
 dumentum, ad latus apertum, & nonnisi uno  
 palmo infimè clausum sine manicis 8. Tan-  
 dem vocatur *Rocchettum*, sive ut doctè ex va-  
 riis linguis hoc vocabulum explicat P. Nicolaus  
 Desnos [h] *linum spectabile, vestisque linea spe-  
 ciosa*. Forma eadem est cum *Canisia Romana*,  
 pertingitque usque ad genua. Utuntur illo in  
 sacris, in Ecclesia & in supplicationibus, aliis-  
 que actibus publicis Romanus Pontifex, Pur-  
 purati Patres, Archi-Episcopi, Episcopi, qui-  
 dam Canonici Metropolitanæ, ut Salisburgenses  
 in

in Germania Superiore, & Canonici Regulares passim in omnibus orbis provinciis. Quibusdam, uti Canonis Lateranensibus, Gallicanis, & Windelemensibus est usuale, quod intra & extra domum deferunt. Superest aliud lineum Canoniorum Regularium indumentum, quod signum potius lineæ tunicæ, quàm tunica vocari potest. Linteolum pensile, id est, ab humeris dependens usque ad genua: nominatur in quodam diplomate Apostolico anni 1487. Canonis Regularibus Hospitii S. Bernardi Trecentis directo. *Panda linea, parvum collaretum lineum.* Pennotus noster [i] *fasciam, hastam lineam* appellat. Assumitur hæc fascia linea siue parvum sarocium propter commoditatem, itinerantium præsertim.

PUNCTUM II.

**E**xpende. Alterum vestium *Canoniorum Regularium* genus, *Togam talarem ex lana* ad talos usque propendentem, quàm sub tunica linea gerunt. Nigram aliqui deferunt, uti Patres Congregationis Salvatoris nostri in Lotharingia Roncavallenses & alii in Hispania. Canonici ad S. Crucem, & ad S. Georgium Augustæ Vindelicorum, Wettenhusani & alii in Suevia: Pollingenses, Bernriedenses in Bavaria: Seccovientes & alii in Styria, Carinthia &c. Creutzlingenses in Helvetia. Toga nigra apud S. Augustinum in Epistola ad Ecliciam *Humi-*

litatis vestimentum est: apud D. Hieronymum *memoriale mortis*: apud Tertullianum *insigne poenitentia*: apud Origenem *Pelles Salomonis*, quæ Dei tabernaculum aperiunt: apud D. Ambrosium *Color filiorum militantis Ecclesia*, ex pulvere suorum certaminum undique nigrore confecta: utrumque verò simul, tunica linea, Rochettum illud sit, sive Sarrocium, sive superpelliceum, & toga, *necessitatem fidei, atque bonorum operum* apud Cyrillum Alexandrinum nobis prædicant, toga namque coloris atrii cum lino candido nos docet fidem in intellectu nostro abditam, bonorum operum luce aperiendam esse. [k]

*Albi* coloris toga alii vestiri solent, uti qui in Congregationibus Lateranensi, Gallicana, Conimbricensi, Windesemensi, S. Salvatoris Bononiensi, & extra illas, qui in Bavaria, Austria, Tyroli in privatis degunt Collegiis Canonici Regulares, quibus adde S. Crucis & S. Georgii Augustano-Vindelicos, nec non S. Michaëlis ad Insulas Wegenses in Imperiali Civitate Ulmensi, & alios nonnullos, qui licet omnes sub veste linea toga utantur *nigri* coloris domo morantes, in Ecclesia tamen, dum divinis intersunt officiis ac Processionibus, *albâ* vestiuntur *tunicâ*, gloriam ac gaudium, juxta Petrum Gluniacensem; designante. [l] Coloris hujus usus uti est antiquissimus, ita fuit familiarissimus

simus cum veteribus Romanis ac Christianis in  
Egypto & Africa, tum antiquioribus Clericis,  
qui post datam Ecclesiæ pacem vixerunt. *Al-*  
*bum* quoque in vestibus apud Clericos colorem  
ostendit multiplex autoritas, S. Hilarii, S. A-  
thanasii Mediolanensis Archi-Episcopi, qui vi-  
xit anno Christi 872. Honorii Augustodiensis,  
B. Petri Damiani & aliorum, quorum verba fi-  
deliter refert P. Nicolaus Desnos noster. [m]  
Certè S. *Augustino* vestem, quam subtus *lineam*  
deferbat, ejusdem formæ ac coloris cum car-  
teris Clericis Africanis fuisse, manifestum est ex  
Epistola 248. ad Religiosam Virginem Sapidam,  
quæ cum propriis manibus contuisset tunicam  
pro Diacono Carthaginensis Ecclesiæ suo fratre,  
& hic diem extremum obiisset, priusquam illam  
tunicam induere potuisset, illa eandem dono  
miserat *Augustino*, enixè eum rogans, ut illam  
pro defuncto fratre induere dignaretur. Qua-  
propter is multis gratiis actis, spondet in Epi-  
stola scripta ad eam, se in memoriam illius san-  
cti Diaconi ejusmodi vestem delaturum. At  
verò candidum colorem in mure positum fuisse  
apud Clericos Africanos, ex verbis Tertul-  
liani colligitur. [n]

P U N C T U M III.

**E**xpende. Tertium genus vestium *Regularium*  
*Canonicorum* esse *Cappas Chorales*, quas ab  
Omnium Sanctorum festo usque ad Pascha de-  
ferre

ferre oportet. Conficiuntur hæc *cappa* cum ex pellibus griseis murium ponticorum sive variorum cum caudis ad imum dependentibus in margine, tum ex pellibus ovium nigrarum. Quæ omnia suis non carent mysteriis. Siquidem videntur commemorare per vetustum Adæ peccatum, quo commisso ipse primus humani generis protoparens à suo opifice vestitus fuit pelliceis. Quin imò in memoriam revocant agni illius immaculati Christi mansuetudinem, qui ut tantum deleret hominis facinus, ex liberrima & piissima erga nos bonitate & misericordia, pœnis ac afflictionibus obnoxiam hominis naturam suscepit, atque eandem hilari animo in ara crucis suo Patri pro mundi sceleribus obtulit. Alii uti Windesemensis Congregationis Canonici & Diessentes in Superiori Bavaria, vestiti *linea* superinducunt *mantelum nigrum*, ex hujus coloris panno vel pellibus, quod *Almutiam* appellant, quod olim super caput & humeros, deinde super humeros tantum, postea super unam scapulam gestabant: hodie super brachium sinistrum Canonici Regulares Congregationis Gallicanæ deferunt. Quidam, ut iidem Canonici, nec non Congregationis Salvatoris nostri in Lotharingia, & S. Mariæ Cancellatenfis in Diœcesi Petragoricensi, ac supra laudati Religiosissimi Patres Canonici Regulares Diessenses, in Ecclesia ab Omnium Sanctorum fe-

festo die usque ad Paschales ferias utuntur Cap-  
pâ, quæ totum corpus circumvestit, conflatúr-  
que ex lacerna seu pallio longo, sformare terram  
attingente, cui in superiori parte alluitur, vel  
superimponitur caputium, vel etiam almutia  
pelliculis suffulta, vel solummodò lanæ, imò  
uti apud Diessenses, venerandæ antiquitatis ob-  
servantissimos, omnino pellicea. Denique caput  
obtegunt *birreto*, quod olim rotundum erat in  
signum perfectionis, quam corona seu figura  
sphærica designat, sensim autem & sine sensu  
rotundum in quadrum sive cruciatum, & à ca-  
pite in angulos quatuor altiùs assurgens evasit  
ab hinc annis centum & quod excedit, uti ex  
variis picturis colligitur.

PUNCTUM IV.

**E**Xpende. *Canonicos Regulares* præter debitam  
capitis tonsuram in summo vertice illius *co-*  
*ronam* gerere, quæ est *Clericorum insigne*, quâ  
indicatur, ad partem sortis ministerii divini,  
cui servire regnare est, eos pertinere. *Coro-*  
*na* quippe *Regale decus*, significat juxta illud  
D. Petri (o) *Vos estis genus electum, regale Sa-*  
*cerdotium.* Propter quod, scribente nostro Hu-  
gone de S. Vict. (p) *coma capitis Clerico in mo-*  
*dum coronæ tondetur: & ipsa capitis summitas de-*  
*super nudatur, & relevatur, ut per hoc detur*  
*intelligi, quod ad regiam in Christo potestatem as-*  
*sumitur, & quod inter ipsum & Deum deinceps*

velamen esse non debeat, quo minus revelata facie & pura mente Domini sui gloriam contempletur. Tonsura autem Ecclesiastica usus à Nazareis eodem Hugone teste (q) exurtus esse putatur: qui prius crine servato, denique ob vitam continentiam caput radebant, & capillos in igne sacrificii ponebant. Hinc usus ab Apostolis introductus est: ut qui divinis cultibus mancipati Deo consecrantur quasi Nazareii, id est, Sancti, crine posito inventiantur: sicut ad Ezechielem c. 5, dicitur: Tu fili hominis sume tibi gladium acutum: & duc super caput tuum & barbam. Hoc etiam in novo testamento Nazareos illos Priscillam & Aquilam in actibus Apostolorum c. 18. primum fecisse legimus. Paulum quoque Apostolum & quosdam discipulorum Christi, qui in huiusmodi cultu imitandi extiterunt: scilicet, ut hoc signo vitia in corde & opere pullulantia praecidende doceantur. Hanc adeò magni fecere prisca Patres, ut per clericalem coronam jurarent. Per eam, adjurat Hieronymus (r) S. Augustinum. Dominum meum Alipium & Patrem meum Evodium, ut nomine meo salutes, precor coronam tuam. Et S. Augustinus scribens Proculejano Donatistae (s) honorant nos, ait, vestri, honorant nos nostri. Per coronam nostram nos adjurant vestri, per coronam vestram vos adjurant nostri.

Do-



## Documenta.

**D**isce ô Religiose Canonice. I. Sacrum Religionis tuæ habitum, quem sancti Patres nostri ad innocentia vel humilitatis indicium abrenuntiantes saculo ferre sanxerunt, (r) ea, qua par est, reverentia prosequi, ceu pignus quoddam æternæ beatitudinis ac vestem nuptialem; quâ indutus ad cœlestis agni nuptias sine difficultate introducaris. Ad labora B. Joannis Ostrowicani Neo-Martyris nostri exemplo, qui ad virtutis studium alliciebatur, quoties Religiosas tuas vestes aspiciebat, vitâ & moribus coram Deo & hominibus illud exprimere, quod sacra tua indumenta significant. *Vestimenta siquidem Religiosa*, magno Augustino teste (u) *sine bonis operibus non solum remedium habere non potuerunt, sed etiam justum iudicium Dei sustinebunt.* Idem sentit Joannes Rusbrochius noster, ob excellentissimam sapientiam alter *Dionysius* appellatus, scribens, (v) *qui hodie monasticum ferunt habitum, & virtutibus contrarium agunt vitam, iis probro & dedecori fieri ipsum habitum sanctum, idque non modò in hac temporaria, sed etiam futura vita.*

Est verò *tunica linea*, Ordinis tui insigne, sive Rochetti, superpellicei, sive sarrocii figuram habeat, *Puritatis & Innocentia symbolum*, atque *D. Augustino*, Castitatis imago. *Linum*,  
in-

inquit (aa) *sine carnis voluptate de terra procreatur, ideo Castitatis imaginem preferre videtur.* Ut verò linum, Plinio teste, semper injuria fit meliùs, perbellè significatur, *Canonicos Regulares Linca* veste admoneri, ad quæque contemptibilia & dura pro Christo perpetienda, ipsiusque gloriam patientia & sui mortificatione esse procurandam, quod aptè indicat *linum*, donec enim ad optatum candorem & splendorem perveniat, non leves injurias patitur; evelli enim solet, ficcari, macerari fluvio, iterum ficcari, tundi malleo stupario, decorticari, scindi spatula lignea, pecti ferreis hamis, neri, in filo poliri, illidi crebrò, in filice texti. Quæ omnia morali & mystica expositione pro Concione ad Canonicos Regulares S. Genovefæ Parisiis habita Stephanus noster Tornacensis Episcopus explicavit, festo die ejusdem S. Genovefæ, quam in gratiam piorum Canonicorum & cæterorum Clericorum integram, curiosorum tamen palato forsan inconditam, à P. Desnos (bb) positam, in fine libri hujus reperies.

Hoc ipsum non minùs piè quàm eleganter ad mores exposuit Alexander de Turre ex Canonico Regulari Lateranensi Episcopus Sithienfis (cc) cujus verba annuero paucis immutatis. *Linum*, inquit, *ex terra nascitur, satùmque prius in gramen pullulat, mox ut flore lasciverit, vellitur, aquà immersum maceratur,*

ex.

exsecratum mox frangitur, & quoquo versum  
 perdomatur, inde peccatur, atque netur, neque  
 videtur prius, quam ferventi mordacique lixi-  
 vio inde purgatum sit, effectumque candidum te-  
 xitur, ut vestes inde consuantur, quas induti  
 ante faciem Domini preces allegemus. Hac om-  
 nia Sacerdotalibus diis diligenter inspicienda sunt.  
 Huiusmodi segetis herba probatioris castigatioris-  
 que vite scanam quandam pingere videntur. Si-  
 quidem nos è terra geniti, luxuriare ineptiis sta-  
 tim incipimus, magistrà igitur disciplinà avel-  
 lendi à terra sumus & spiritualis vite studiis ad-  
 dicendi. Et paucis interjectis lineis: ab intem-  
 perata itaque cupiditate abstracti lacrymarum  
 aqua statim sumus macerandi: anima enim jux-  
 ta Richardum Pampolitem, qua in amaritudine  
 esse noverit, in gaudio illius non miscebitur alie-  
 nus. Hac est perfecta progressio pœnitentis, cum  
 nec unum scelus relinquitur, quod salubriter la-  
 crymarum undis non puniatur. Contritionis pro-  
 fluvio aspersi ad Sacerdotalem solem mox sumus  
 exponendi, laboribus inde perperam factorum pœ-  
 nitentia domandi; inde per omnes conscientie  
 scrupulos quàm diligentissimè peccandi, ut ita for-  
 des excutiantur omnes, nihilque relinquatur,  
 quod in filo vite producendo possit officere: quod  
 quidem filum longa bonorum operum continuatio-  
 ne nondum est, mordacique subtrade lixivio deal-  
 bandum, ut eluto jam tetra illo colore, quem à  
 ter-

ter-

terrena contraximus origine candidissimum nobis amiculum contexamus, & eo integrè & nitidè custodito, Clericos, qui verè sint per sortem electi, profiteamur de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Et post pauca: Clericus igitur linea veste utitur, & ab omni inquinamento segregetur. Inter ceteras autem linei succi proprietates, eas esse tradidit Plinius, oculorum aciem per acutam efficere, ac cerebri melancholiam lenire & mitigare. Quorum alterum intellectum scientiâ collustratum, aliud Providentia munus in Prasulibus maximè oportunum innunt. Non satis enim est Prasulem, omni scientiarum genere præluce, nisi etiam prudentia opibus suis, in administrandis functionibus calear.

Porro ex Cassiani mente apud P. Desnos nostrum (dd) lineo habitu significatur, Clericos ab omni sæculari conversatione mortificatos ac mortuos esse, cum mortuorum corpora lineis involvi soleant. Nec doctrinâ caret, quod hæc linea Canonorum Regularium vestis stricta sit, strictasque habeat manicas. Unam tradit V. Beda (ec) Hæc linea vestis, inquit, manus & brachia stringere debet, ne quid nisi utile faciant, pectus ne quid inane cogitet, ventrem ne delicias ultra modum appetendo, gulosus fiat, subjecta ventri membra ne lasciviant: alteram suggerit modò laudatus noster Alexander à Turre, (ff)

asserens, stricta hæc linea indumenta idè Ec-  
clesiam circumferri iussisse, ut, qui ea gestant,  
commoneantur, intra seipfos permanendum, ad  
interiora collectos, non ad exteriora profusos.

Disce 2. Ex toga sive tunica talari operis  
cujuscunque boni perfectionem atque perseve-  
rantiam in arrepto vita religiosa propositio indi-  
cari. Unde appositè Rabanus Maurus (gg) ta-  
lari longitudini illud Apocalypsiis. *Esto fidelis  
usque ad mortem*, adaptavit. *Quis in vitam ater-  
nam poterit ordinari*, inquit S.P.N. sine [hh] per-  
severantia dono, *quandoquidem qui perseverave-  
rit usque ad finem, hic salvus erit. Qua autem  
salute nisi eterna. Finem verò dico*, ait alio in  
loco (ii) idem S. Pater, *quo vita ista finitur,  
in qua tantummodo periculum est, ne cadatur.*  
Color verò togæ albus denotat 1. agniam hu-  
militatem & columbinam simplicitatem, 2.  
Morum innocentiam, 3. Sinceritatem in agen-  
do, 4. Internam animi munditiem, puritatem  
ac nitorem juxta illud S. Augustini scribentis,  
(kk) *nitorem vestri habitus in conversatione  
servetis, & tam sint candida corda vestra, quam  
vestimenta vestra.* 5. Latitiam, non quidem  
vanam ac mundanam, sed spiritualem & san-  
ctam, in qua Domino serviendum. 6. Nos  
esse *Candidatos* cælestis regni, quod ambire de-  
bemus, adeoque agere vitam sanctam & cæle-  
stem. *Vestimentis albis induitur*, inquit Ri-  
char-

chardus de S. Victore noster. (11) *quisquis operibus mundis extrinsecus circumdatur & ornatur.* Alanus noster de Solminihac tunicam suam, quam Religiosus Canonicus semel induebat *albam*, tanti faciebat, ut Episcopus Cadurcensis inauguratus, atque à nonnullis, ut violaceam assumeret rogatus, nullatenus eam deponere voluerit, asserens, candidâ suâ togâ neutiquam se dedecorari, quàm pluris Regum purpura faceret, imò prius se propriam pellem, quàm candidum habitum dimissurum. (mm) Meretur, cujus hic mentio habeatur, Illustriss. Dominus Franciscus Benno Fugger, S. R. I. Comes de Kirchberg & Weissenhorn, Dominus in Tauffkirch & Schwindek, Serenissimi Electoris Bavarix Camerarius, 5. Octobris anno 1676. pienssimè defunctus, tantus ac tam singularis Ordinis Canonico Augustiniani amator, ac vestium sive sacri Habitum nostri æstimator, ut demortuum suum corpus iisdem indui tumulòque ita inferri, raro hodie exemplo, efflictim petierit, quod & à Reverendissimo Garfensium Præsule Athanasio obtinuit, corde dein ipsius ad eandem Garfensem Canonicorum Regularium Ecclesiam delato, atque in S. Felicis Martyris sacello terræ mandato, cum prius in eo templo egregii operis aram *S. P. Augustino* erigi curasset. (n 3.)

Di-

Disce 3. *Almutiam* ovis errantis reducendæ typum referre in Clericis, ex mente Isidori Pe-  
lusiota. (nn) Cùm enim Canonorum Regu-  
larium sive sæcularium collegia fuerint semina-  
ria Parochorum, ovium custodiam habent de-  
signatam ex gestatione hujusmodi Almutiarum,  
quas olim super humeros deferebant, exprimen-  
tes Christum Pastorem bonum, portantes infir-  
mas oves in humeris suis. Quia verò hæ Alum-  
næ ex pellibus animalium conficiuntur, mor-  
talitatem designant, de qua re, more suo, pul-  
chrè S. Augustinus (oo) *Pelles*, inquit, *detra-*  
*hi non solent, nisi animalibus mortuis: ergò pel-*  
*lium nomine mortalitas figurata est.* Divina  
Scriptura pellis nomine significatur, quia per quos  
nobis scriptura predicata est, mortales fuerunt.  
Quod enucleatiùs explicans S. Carolus Borro-  
mæus (pp) *Canonicum*, inquit, *dum humeris*  
*vel brachiis almutiam pelliceam imponit, eam*  
*cogitationem suscipere, in se restinctas ac planè*  
*mortuas esse oportere rerum mundanarum affe-*  
*ctiones atque cupiditates: ut ejus rei significans*  
*est illa animalis intermortui pellis, quàm de mo-*  
*re gestat.*

Disce 4. *Cappam*, sive pallium illud talare  
nigrum, manicis carens, Pœnitentiæ rigorem,  
juxta nostrum Stephanum Tornacensem, indi-  
care, secundùm laudatissimum Mediolanensem  
Archi-Episcopum verò (qq) denotare. *Can-*  
*ni-*

354 *Pars III. Alim. Piet. Augustiniana*  
*nicum repressas & quasi devinctas habere debere*  
*appetitiones, atque totum se ad Dei voluntatem*  
*accomodare.*

Disce 5. *Parvum pileolum, Byrretum dicunt,*  
*forma quadratum, in Sacerdote, cujus labia cu-*  
*stodiunt scientiam, esse symbolum immortali-*  
*tatis & stabilitatis, quâ omni vento doctrinæ*  
*non circumferatur. Habet scientia modum suum,*  
*scribit Præsul Africanus noster (rr) si: quod in*  
*ea inflare assolet, eternorum charitate vincatur,*  
*quæ non inflat, sed adificat. Alii pileolum hunc*  
*crucem Dominicam exprimere autumant. An-*  
*selmus Solerius verò apud P. Nicolaum Desnos*  
*(ss) aliùs mysterium in eo deprehendit, dum*  
*quadratæ formæ rationem eandem esse scribit,*  
*quæ quondam Quadrati, quod viris aut ex mu-*  
*neris, quod obibant, debito, aut virtutis exi-*  
*mia decore perfectis supra verticem collocaba-*  
*tur.*

Disce 6. *Coronam* in summo vertice nihil  
magis denotare, quàm spineam Christi coronam,  
quam toto vitæ tuæ tempore ferre debeas. De-  
signat ad hæc, Religiosum Canonicum à se ab-  
scindere debere omnia mundana & superflua,  
quæ per capillos signantur. Admonet præterea  
Religiosum sui status, qui est pœnitentiæ. In-  
sinuat quoque Deo gratias esse agendas, ac fide-  
lem à religioso servitute exhibendam, quem  
Deus de periculoso mundi pelago ad securum  
Re-



Religionis portum traduxit: olim quippe iis, qui maris tempestatem evaserant, raris capitibus vota Diis persolvenda erant, Luciano teste. Significat etiam, prout observat Hugo de S. Victore noster, mentem ad superna contemplanda & desideranda liberam esse debere.

Porro cùm Stephanus Tornacensis (tt) Habitum Ordinis nostri vocet *Habitum Pœnitentia*. Et Petrus Blesensis (uu) Canonicos Regulares à *vestium vilitate* laudet, haud dubiè ab iisdem proscribenda est omnis vanitas ac fastus, ne in habitu eorum religioso aliquid sit, aut fiat, *quod cuiusquam offendat aspectum, sed illorum deceat sanctitatem*, ut monet Regula (ww) *neque videantur affectare vestibus placere, quod prohibet eadem Regula, sed moribus. Debent amatores Religionis, ex sententia Hugonis de S. Victore nostri, opere demonstrare, quantum ipsi terrena despiciant, nec carnem, qua mortitura est, cultu superstitioso excolere, sed pompæ indumentorum morum ornamenta anteferre. Vestimenta plus vilia quàm pretiosa, plus grossa, quàm subtilia, plus aspera quàm mollia, plus fusca quàm nitida, plus neglecta, quàm accuratè composita diligere. Si D. Hieronymum consulas, religiosum decet neglecta mundities, & in veste cultus sine cultu. Dedecet profectò ut pauper & mendicus de fidelium eleemosynis vivens, vestium splendorem sectetur, odit quippe*

Deus pauperem hujusmodi superbum. Vide sis cum prisco illo Atheniensium Duce, ne quid indumento isto tuo indignum feceris, id est, ut nihil unquam admittas, quod Religiosarum vestium tuarum dignitati quovis modo adversetur, nihil quod illarum sanctitatem minùs deceat, aut religionis pietatisque odorem ex illis diffundendam usquam impediat. *Qui habitum oculis hominum, scribente nostro Joanne Rusbrochio (xx) placentem, mundique honorem & ornatum appetunt, ii vel in tartara relegantur, vel pœnitentes ad immanes purgatorii cruciatus.*

Tandem laude & imitatione digna est quorundam virorum Religiosorum consuetudo, toties sacro habitui osculum tenero animi affectu imprimere, quoties eundem deponere vel assumere contigerit, manè præsertim, dum surgunt, ac vesperi, dum cubitum concedunt, eliciendo simul sequentes actus 1. *Gratiarum actionis*, quod ipsos ad hanc N. religiosam familiam vocaverit.  
 2. *Humilitatis*, indignos se censentes, qui tam sanctum habitum in fragili corpore suo portant.  
 3. *Invocationis*, ut dignè vocatione sua ambulare, in arrepto vitæ proposito persistere, sub hoc sacro habitu, tanquam signo & vexillo contra animæ hostes viriliter decertare, ac tandem in virtutibus, Professioni suæ congruis, proficere possint. *Formula sit:*

Do-

Domine JESU, gratiarum actiones tibi sint à me tibi infinitæ, quod me ad hunc Religio-  
sum N. Ordinem, relictis tot aliis, vocaveris,  
indue me indignum hoc sacro Ordinis mei ha-  
bitu, quem dignè meruerunt portare Patres no-  
stri, & præsta, ut sic illum portare valeam,  
quatenus in eo Majestati tuæ fideliter servire in  
terris, & promissa tibi famulantibus præmia con-  
sequi merear in cælis!

(a) Ioan. Andreas in Clem. I. de elect. verbo *Habitus*.  
(b) Exod. cap. 28. (c) apud Alexand. nostrum de Turre  
lib 2. de fulg. Rad. Hierarch. fol. mibi 68 (d) Serm. 2.  
de Cler. (e) ad ann. Christiz 61. n. 40. (f) Chron. v. v. ind.  
l. I. c. 23. g) Epist. ad Albin. Card. (h) l. 4. c. 6. de  
Can. sac. & Reg. (i) lib. 2. c. 69. (k) P. Ioan. Pedel in  
vita Petri Forerii lib. I. c. 16. (l) lib. 4. Epist. 17. (m)  
in suo sæpius allegato de Canonicis Tract. lib. 4. c. 3. (n)  
lib. de resurr. carnis apud Desnos loc. cit. (o) I. Pet. 2.  
(p) lib. 2. de Sacr. part. 3. c. I. (q) cit. loc. cap. 3. (r)  
Epist. 20. (s) Epist. 147. (t) ex Pontificali Romano orat.  
quæ vestes religiosa benedicuntur. (u) Serm. II. de adv.  
adjud. (vv) de vera contempl. cap. 70. (aa) Ser. 227.  
de temp. (bb) lib. 4. cap. 12. (cc) lib. 2. de fulg. Rad.  
Hierarch. c. 28. (dd) lib. 4. c. 10. (ee) lib. de taber. (ff)  
loc. cit. (gg) lib. de Ord. Antiph. c. 16. (hh) lib. de cor-  
rep. & grat. c. 6. (ii) lib. de bono persever. c. I. (kk)  
Serm. 17. de resurr. (ll) part. 2. lib. 2. cap. II. super  
Apoc. (mm) lib. 2. cap. 3. vita. (n 3.) ex Conc. funeb.  
habita per R. D. Ioan. Chrysof. Hagerum Can. Reg. Garf.  
(nn) lib. I. epist. 136. (oo) in Psal. 103. Serm. I. (pp)  
in Concil. Mediol. 5. (qq) loc. cit. (rr) de Trinit. lib. 12.

358 Pars III. Alim. Piet. Augustiniana  
e. 14. (ss) lib. 4. c. 13. (tt) Epist. 77. (uu) Serm. 36.  
(vv vv) c. 4. (xx) de ver. Contempl. cap. 61.

## CONSIDERATIO V.

### De Paupertate Religiosa.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. *Matth. c. 5.*

#### PUNCTUM I.

**E**Xpende 1. Paupertatem Evangelicam, quâ Religiosus divitias omnes, ipsosque auri montes quasi stercora cum D. Paulo (a) propter amorem Dei, Ipémque vitæ æternæ abominatur, omnibus virtutibus eminere, & esse, ut D. Ambrosius loquitur, (b) *ordine primam, & quasi aliarum virtutum parentem*. P. Petrus Forerius eam *Ordinis nostri propugnaculum, murumque fortissimum* nominavit. Quare & Christus inter octo beatitudines, id est, virtutes, quæ hominem in hac vita beatum faciunt, Paupertati principem locum dedit, eidémque summum præmium attribuit, *Beati*, inquit (c) *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. Unde sapienter exclamat S. P. Augustinus (d) *Videtis quam dulcis debeat esse paupertas, videtis pauperes pertinere ad Deum, sed pauperes spiritu, id est, voluntate & affectu nihil habendi*. 2. Præstantiam ejus defumi ab

exem-

exemplo Filii Dei, qui cum esset dives, factus est pro nobis egenus (e) & ita egenus, ut dixerit, (f) *vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, Filius Dei verò non habet, ubi caput suum reclinet.* Unde nec in domo, sed in stabulo, eoque alieno nasci voluit, & licet in manu haberet omnes fines terræ, aliorum tamen elemosynis vivere, & stipem mendicatò quære, pauperem habere matrem & patrem, nempe fabrum, pauperes item discipulos, in paupertate demum & nuditate vitam claudere elegit. Quare idem S. Doctor, (g) *Omnia, quæ amant homines, noluit habere Christus, ut non habendo ostenderet contemnenda.* 3. Ex iudicio mundi liquere *Paupertatis* præstantiam: si enim ex paupere repente quis fiat dives, mundus non admodum miratur; at verò si quis ex divite & copioso fiat spontè *pauper* & omnia deserat, agros, vineas, urbes & omnes mundi hujus thesauros, summoperè stupet, eò quòd nihil putet divitiis esse nobilius, nihil abjectius inopiâ.

PUNCTUM II.

**EX**pende. *Paupertatis* Religiosæ mirabiles utilitates. Nam 1. hominem reddit à multis vitiis immunem, quæ comitari solent divitias, & maximè divitiarum concupiscentiam. *Radix enim omnium malorum cupiditas.* (h) Graviter proinde S. P. N. in aurum invehitur, *Aurum, inquit (i) quod arumna perquirat, quod avari-*

tia cupit, quod sollicitudo custodit; aurum materia laborum, periculosa res possidentium; aurum enervatio virtutum; aurum malus Dominus, proditor, servus: aurum quod in perniciem Domini fulget; aurum, cujus inquisitio damnationem habet, cujus amor Judam facit. 2. Hominem de salute sua reddit securum, eique divinam gratiam conciliat. *Tibi derelictus est pauper*, inquit Regius Propheta, (k) Deus enim specialiter pauperes adjuvat, & cum bona terrena propter ipsum contemnunt, cœlestibus ac spiritualibus divitiis illos remunerat, & locupletat. 3. Hominem facit animo quietum & sine sollicitudine rerum temporalium, quales nos vult Apostolus esse, ut tantò alacrius & expeditius Deo servire & salutem nostram operari possimus. *Si intraveris cor pauperis spiritu*, inquit S. Joannes Chrysostomus (l) *illudque examinaveris, invenies illud plenum suavitatis, & magna libertate frui.* 4. In hoc mundo lucratur homini æternitas divitias, & valde gloriosum reddit in regno cœlorum. *Felicitas magna est Christianorum*, ait S. P. N. [m] *quibus datum est, ut paupertatem faciant pretium regni cœlorum.* Non tibi displiceat paupertas tua, nihil potest ea diutius inveniri. Vis nosse quam locuples sit? Cœlum emit. Quibus thesauris conferri possit, quod videmus paupertati indultum? ut ad regnum cœlorum veniret dives,

pos-

Genl. de  
 me in obitu  
 compa per  
 P. U. N  
 Alio  
 apores spir  
 quata illuc  
 & omnia  
 Qui con  
 Cui aut  
 ffer est.  
 ac orber  
 illi vatis  
 & matorna  
 qui sec  
 Filio  
 & nos ja  
 uicim tribu  
 inquit  
 qui p  
 & se  
 cappe xii  
 fortar. 3  
 uis juris  
 (c) Be  
 in ep regna  
 de pt  
 cœlorum  
 paup  
 res, res

possessione sua obtinere non potest, nunc obtinet, ut contempta perveniat.

PUNCTUM III.

**E**Xpende. Alias paupertatis prerogativas. 1. Pauperes spiritu adhuc in hoc mundo ditantur juxta illud D. Pauli (n) *tanquam nihil habentes & omnia possidentes.* Pulchré D. Ambrosius: *Qui omnia reliquerit, Deum possidere incipit. Cui autem portio Deus est, totius natura possessor est.* 2. Assellores futuri sunt cum Christo ac orbem judicaturi, secundum illud tum Hussai vatis (o) *Indicium pauperibus tribuit, tum æternæ veritatis (p) Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Unde Augustinus: *In numero, inquit, (q) judicantium omnes intelliguntur, qui propter Evangelium omnia sua dimiserunt, & secuti sunt Dominum. Duodenarius quippe numerus ad quandam universitatem refertur.* 3. Pauperes regnum cælorum proprietatis jure sibi vendicant juxta id Christi Domini (r) *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Benè pensandum verbum de præsentis est, non de futuro erit. *Regnum cælorum, inquit S. P. N. (s) non divitum sed pauperum est. Si est regnum cælorum pauperum, restat, ut infernus sit divitum.* Atque

que hæc est illa copiosa & centupla merces, pretiosa illa hæreditas, & æterna, quæ pauperibus in regno cœlorum promissa est, quæ non datur ulli, nisi mundana contemnti, & nullam aliam in hac terra portionem habent. *Quid autem gloriosus, exclamat idem S.P.N. (t) quàm sua vendere & cœlum emere!*

## PUNCTUM IV.

**E**xpende, *Damna Paupertatis Religiosæ violatæ.* I. Non unum duntaxat vitium in Religioso censetur *proprietas*, quam Cassianus *receptaculum vitiorum, malorum omnium radicem, & inextricabilem nequitia fomitem* appellat, ubi multa in unum crimina concurrunt, ut I. *Inobedientia*, contra tam severas Canonum, Regulæ, Constitutionum, Prælatorum, aliorumque Superiorum prohibitiones. 2. *Furti*, quod S. Basilius definit esse *privatam possessionem*. Hinc S. Augustinus in Regula (u) mandat, *ut, si aliquis rem sibi collatam celaverit, furti iudicio condemnatur.* Haud dubiè, quia proprietarius usurpat clandestinè res monasterii tanquam suas invito Domino, vel saltem non consentiente. Quæ verba Regulæ Hugo noster de S. Victore explicans, ita scribit, (aa) *Frater, qui rem collatam celaverit, Judæ traditoris locum tenet in Ecclesia, qui fur erat & latro, & loculos habens.* 3. *Sacrilegii*, quia est contra votum paupertatis Deo semel promissæ. II. *Scpul-*



pulturâ Ecclesiasticâ post mortem privant Jura Proprietarios, tumulum asini aut sterquilinum iisdem decernentia, cui mandentur, nisi pœnitentiam egerint: Ita Clemens Papa III. Canonicum Regularem jam sepultum, cognita ipsius proprietate, exhumari & extra Monasterium projici jussit. [bb] III. Deus severè in transgressores paupertatis animadvertit. Exemplo sint Ananias & uxor ejus Saphyra subitanea morte extincti ad S. Petri vocem, increpantis eos ob defraudatam partem de pretio agri divenditi, atque æternis fortasse suppliciis addicti. *Ananias*, inquit magnum Ecclesiæ lumen *Augustinus* [cc] *pariter vitam perdidit & salutem.* Et S. Basilius [dd] *ad pœnitentiam additum invenire non potuit, subitanea morte præventus.* O detestandum proprietatis vitium!

### Documenta.

**D**isce 1. *ô Religiose Canonice*, cum voveris *paupertatem*, quæ virtus est moderans appetitum possidendi res temporales, ut solis necessariis secundùm statum homo contentus sit, te non solùm omnibus facultatibus exui, ut nudus nudum sequaris Christum, sed in eo te statu poni, ut nihil proprii nec habere nec dicere quidem possis, juxta illud S. Regulæ nostræ; [ee] *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia*, attribuendo tibi scilicet do-

dominium, & absolutam contra Superioris voluntatem dispositionem.

Disce 2. Nonnullas *paupertatis* leges, quas si tenueris, exactus illius observator eris. I. *Paupertas Evangelica* prorsus nihil, neque clam, neque palam sine Superioris consensu tacito vel expresso accipit, seu communicat, ne quidem pauperi vestimentum lacerum aut calceos detritos, nec quidquam sibi uni arrogat, multò minus aliquid juris in temporalia aut eorum usum sibi vendicat, adeoque nunquam dicit aliquid *proprium*, sed omnem proprietatis lucem penitus excludit, *ne furti iudicio condemnetur*. Violabis proinde, & graviter quidem, si rem magni momenti, qualis in materia furti sufficit ad mortale scelus, inscio vel invito Superiore acceptes, vel alteri des. Canonici Regulares sub Abbate Alano in cœnobio Cancellatensi hujus primæ legis observantissimi, piaculi loco habuissent, si rem quampiam sibi attribuissent, dicendo v. g. *liber meus, habitus meus*, & si incogitanti ejusmodi verbum excidisset, mox se corrigebat. [ff] Ipse verò Abbas Alanus nihil pro usu suo particulari habere voluit, omnia, etiam quoad habitum & reliqua debebant esse communia. Exciderat aliquando ex inadvertentia cuidam Religioso, *hic est Reverendi Patris pileus*, sermonem hunc tam ægrè tulit, ut contestatus fuerit,

si pileum haberet, eundem se per fenestram pro-  
jecturum esse. [gg]

2. *Paupertas Evangelica* nihil superfluum  
habet, solis contenta necessariis, quorum quid-  
dem astimationem ac determinationem Superiori  
relinquit, adeoque nihil in particulari sibi  
necessarium iudicat, nisi accedat Superioris ju-  
diciū, idem sentientis, ac distribuentis uni-  
cuique, sicut cuique opus fuerit, ut præcipit  
Regula nostra. Reverendissimus Claudius San-  
ctesius è Canonico Regulari Episcopus Ebroicen-  
sis in Gallia habitum suum Regularem nunquam  
dimittens, tantam in eo observavit modestiam,  
ut voti paupertatis semel emissi memor, nihil  
superflui admiserit, Rochetta illius & super-  
pellicea denticulatis carebant limbis, vestes seri-  
cas admisit nullas, uti nec ligulas adstrictorias,  
asserens, unum assē, quo ejusmodi constaret,  
sufficientem fore, ut exinde pauper per unum  
diem nutriatur. Togam adhæc habebat uni-  
cam, atque si à suis urgeretur ut aliam adhuc  
in seposito teneret, quid? ajebat, vultisne, ut  
tineis ac vermibus in cista nutrimentum submi-  
nistrem, dum interea pauperes emoriuntur fa-  
me? Rottenbuechensium Religiosissimus Anti-  
stes Michael Fischer, uti paupertatis fuit stu-  
diosissimus, ita in linea suppellectili sua & suo-  
rum inutiles simbriarum appendices, sæcularis  
aliquid vanitatis olentes non tolerabat, soli etiam  
sto-

stora: è stramine contexta ipse indormiens. Fuit, ut Parochus quidam è Religiosorum Canoniorum suorum cœtu à ruri domum red-  
dux, splendidiore nonnihil veste excultus, co-  
ram ipso compareret, quam cum sacrae pauper-  
tati repugnare existimaret, detrahi illico iussit,  
ac in frustra concidi, leviozem ratus iacturam,  
quæ ex vestis, quàm quæ ex paupertatis scissura  
redunderet.

3. *Paupertas Evangelica* non tantùm reipla,  
quæ mundi sunt, relinquit, verùm etiam affe-  
ctum eorundem exuit: *Pauperes Dei* enim, ex  
sententia S. P. N. [ii] *in animo sunt, non in sac-  
culo.* Neque eidem fatis est, temporalia ex-  
teriori duntaxat opere aut affectu reliquissè, sed  
interiori affectu quoque & spiritu deserit, adeo-  
que *sursum cor habet, & terrena ac vana, jux-  
ta Regulæ nostræ præscriptum, non quarit.* Ni-  
enim id fiat, vana est tua paupertas. *Non pro-  
dest tibi, inquit S. Legislatoz tuus, [kk] si eges  
facultate, & ardes cupiditate.* Dicebat aliquan-  
do suis Alanus Abbas noster, *scire vos volo,  
quod nullum prorsus in rem hujus mundi quam-  
cunque geram affectum, bonaque temporalia vi-  
liori sint apud me in pretio, quàm ut in eadem  
propendeam.* [ll]

4. *Paupertas Religiosa* vilium amorem ab  
humilitate mutuatur, quia pretiosa, delicata,  
splendida, delectabilia multò magis regularem  
des

dedecent, quàm superflua. Certè ex nimia vestis munditia S. P. N. Augustinus animæ sordes conjicit: & S. Bonaventura molles mollia quæ- rere ait, necessarium autem discrimen extare debet inter palatii divites & claustrii pauperes. Alanus, sive Abbas, sive Episcopus existens, præterquam quòd nec in vestibus nec in suppellectile superflui quidpiammitteret, non nisi quod deterius & vilius erat, elegit, adeò quidem, ut fermè absque ulla reflexione priora exiis, quæ usui suo destinabantur, acciperet, idque in rebus etiam minimis, quales sunt scopæ & his similia. Gaudebat porrò, si ei lacera aut usu jam attrita darentur, eò quòd ex illis paupertas magis eluceret. Hinc noluit habere conclave peristromatis ornatum, neque lectum aliter stratum, quàm fratrum suorum esset. Toleravit aliquantum temporis inferni mensæ tapetium stragulum ex panno albo, quod postmodum deposuit, & aliud ex corio non ita pretiosum substituit. Demum verò dixit, hunc tapetem esse rem superfluam, nihil singulare habere se velle ultra, quàm pauperem religiosum deceat, sicque prorsus eum deponi mandavit. Erubuit subinde, qui Alano à cubiculis erat, quod Herum suum calceos tam obtritos & Rochetta adeo reconcinnata gestare cerneret. [mm] Idipsum faciebat P. Petrus Forerius, hoc semper pro usu sumens, quod vilius esset, cujus

cu-

cubiculum nullo splendebat ornatu; nudi quippe erant parietes, mensa nullo instrata tapete, non aderat sella coriacea, imò ne quidem imago pretiosior quàm papyracea, ad hæc Servatoris in cruce pendentis icon simplicissima, coram qua preces fundebat. Vestes novas aut omnino non, aut ægrè certè admisit, attritis semper contentus. [nn] P. Paulus, primus reformatæ nostræ Congregationis S. Crucis Conimbricensis in Lusitania Religiosus Canonicus, paupertatem adedò adamavit, ut indumenti nihil, nisi illud, quo tegebatur, nec in cubiculo aliud, præter tabulam, in qua Deiparæ effigies depicta erat, haberet. Obiit 4. Octob. anno 1591. [n3.]

5. *Paupertas Religiosa* in ipsa rerum usurpatione decentiam observat, & quod præsentitu consumi non potest, nec debet, ut suppellex, vestis, liber &c. mundum & illæsum conservat, quod S. Vincentio est *in paupertate paupertatem* amare. Hinc Basilius [oo] inquit: *Diligentiam in omnibus vel utendis, vel conservandis eam adhibe, quàm in dominicis rebus adhibere par sit, & neque eorum quidpiam, si casu negligenter actum sit, sine desperire.* Coarguit aliquando Alanus rei cibariæ Curatorem suum, cum poma dimidium putrefacta in terram abjecisset, volens, ut reliqua pars putredine immunis apponeretur, quod pauperes id faciant, maximèque curent, ut omnia benè impendant.

(pp) Quod verò usu consumendum est, ut esculenta, poculenta, saltem civiliter & moderatè absumit. R. P. Petr. Forer, pileo tamdiu utebatur, quamdiu aliquid primæ tincturæ supererat, neque habitum, nisi ultimo etiam filo disrupto deponebat, in quo nec tantillum alicujus superfluitatis patiebatur, præsertim si eidem ornando deserviret.

6. *Paupertas Evangelica* ipsam in super paupertatis inopiam hilariter sustinet, gaudetque, si quando in ipsis rebus necessariis aliquid desit: heroicæ mentis est, inquit nonnemo, à rebus caducis non pendere, & majoribus delicata semper visa fuit paupertas, quæ nihil sibi deesse patitur. *Illi, juxta S. P. N. estimandi sunt ditiores, qui in sustinenda parcitate fuerint fortiores, melius est enim minùs egere, quàm plus habere.* (qq) Ita volupè fuit Canonicis Religiosis, sub Abbatis Alani disciplina degentibus, paupertatis effectus persentiscere, & necessarium quoque rerum defectum sustinere. (rr) Maria à S. Francisco nostra [antequam Ordini nostro nomen daret, dicta Claudia, Marchionissa de Moy, Comitissa de Chalignis, mater Caroli Lotharingi Virdunensis Episcopi] summo eoque sensibili solatio afficiebatur, si quem paupertatis actum in rebus ad victum necessariis exercere posset, & licèt corporis complexionem delicatam habe-

ret, attamen de eo, quod ipsi parabatur tam parum sollicita erat, ceu mortua esset. (ss)

7. Valdè grata est Deo illa *paupertas*, dum quis ex amore ejus abstinet à medicinis pretiosis & frequentibus, atque prorsus omnibus, nisi gravi morbo adeo prostratur, ut pedibus non possit subsistere, & diu decubiturus putetur. Qui ergo dolores illiacos & transeuntes quasdam indispositiones, patientiæ & victûs moderatione tantùm curat, verò paupertatis amatorem se ostendit, Alani Cancellarensis Abbatis, & Simonis Mayr Ranshovienstem in Bavaria Præpositi exemplo, quorum hîc medicinâ nullâ unquam usus, omni lapide Philosophico pretiosius oraculum usurpans: *Abstine, sustine*, & illud, *Inedia sanitatis mater*. (tt) Alter verò in suis infirmitatibus perrarò medicos advocabat, asserens, pauperibus ejusmodi commoditates non convenire, hinc plerumque necessum fuit, ut Officiales eo inscio alia ex causa illos adscirent. (uu)

Discant 3. Superiores, Procuratores, vel uti denique rei œconomica cura demandata est, cum Paupertatis voto non minùs quàm subditi teneantur, ne in eam peccent. Neque enim dominium ullum habent honorem Monasterii, sed dispensationem meram patrimonii Christi. Quod si res Ecclesiæ, uti & cœnobiorum longè profanis antestant, majori quoque cura ac fide



fide tractare eas necesse est. Grariani enim lententia: *Aliud est sua possidere, aliud communium procuratorem esse.* Igitur sunt appellandi proprietarii, ne dicam fures & sacrilegi, quotiescunque monasterii facultates tanquam suas possident, aut eis utuntur ad suum arbitrium, aut sic elargiuntur, ut non tendant in utilitatem monasterii. Ino communis Theologorum opinio est, eos, qui tali modo quippiam acceperunt, obligatos esse ad restituendum, nisi ignorantia probabiliter excusentur. (w)

(a) Philipp. c. 3. (b) lib. 5. in Luca. (c) Matth. c. 5. v. 3. (d) in Psal. 73. (e) Cor. 2. c. 8. (f) Matth. c. 8. (g) in Psal. 30. conc. 3. (h) I. Tim. 6. (i) Serm. 28. de verb. Apost. (k) Psal. 9. (l) Hom. 48. in Matth. (m) Serm. 28. de verb. Ap. (n) 2. Cor. 6. o) c. 36. (p) c. 19. (q) lib. 50. hom. 50. (r) Matth. 5. cap. (s) lib. de contempt. mundi c. 7. (t) Ser. ult. de divers. (u) cap. 6. (aa) in Com. Reg. (bb) cap. super quodam de statu Monach. (cc) Serm. de verb. Ap. (dd) Serm. 1. de instit. Monach. (ee) c. 1. (ff) lib. 1. c. 14. vita. (gg) lib. 3. c. 4. (hh) ex vita. (ii) in Psal. 131. v. 15. (kk) in Psal 51. (ll) lib. 3. c. 4. (mm) lib. 3. c. 4. (nn) ex vita. (n 3. Pennot. in his. trip. l. 2. c. 61. n. 5. (oo) Ep. ad Canon. (pp) lib. 3. c. 4. (qq) Reg. c. 4. (rr) lib. 1. c. 14. (ss) ex vita per P. Hilarium à Costa minimum. (tt) obiit Simon Religiosissimus Antistes 8 Ian. 1665. (uu) lib. 3. c. 4. vita. (vv vv) Lancel. in Lucer. fol. mihi 83.

## CONSIDERATIO VI.

## De Castitate Religiosa.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. *Matth. 5.*

## PUNCTUM I.

**C**UM *Castitas* ex mente *Doctoris Augustini* nostri (a) sit in carne corruptibili incorruptionis perpetuae meditatio, sive sit virtus, quâ quis nunquam corruptus firmiter statuit carnis suae integritatem perpetuo conservare, & ab impura voluptate corporis abstinere: Hinc expende hujus virtutis excellentias. *Primam* indicat idem *S. P. N.* (b) *Gloriosum*, inquit, inter ceteras virtutes locum tenet *Castitas*, quia ipsa sola est, qua mundas hominum mentes praestat videre Deum. *Secunda* est, quod hominem, quantum fieri potest, restituat in priorem statum, in quo conditus est, eaque puritate ornet, quâ claruit in *Paradyso terrestri*, hoc est, ut caro obsequatur spiritui, nec quidquam homo turpe opere, verbo, vel cogitatione designet; & pars inferior, quæ dicitur sentiens, non obstrepat superiori, hoc est rationi. *Tertia*, quod reddat hominem, simillimum Angelis, eò quod carnis vinculis alligatum esse, & non secundum carnem vivere, sed secundum spiritum, reputetur non humanum sed Angelicum: In carne prater

car-

*carnem vivere, inquit S. Chrysologus (c) non terrena vita est, sed cœlestis. Et teste S. Ambrosio, (d) major est victoria Virginum quam Angelorum, Angeli enim sine carne vivunt, Virgines verò in carne triumphant. Quarta, quod inter eximia Dei dona, quæ non humana, sed divina tantùm virtute nobis contingunt, castitas numeretur. Unde illud Sapientis (e) sciivi, quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det. Et S. P. N. (f) Quis est hominum, qui suam cogitans infirmitatem, audet viribus suis tribuere castitatem suam? Quare & alii sancti Patres sentiunt, illam virtutem supra naturam & supra omnem legem esse, & ideo neque in veteri, neque in nova lege imperatam. Excellentia autem illius nascitur ex summa difficultate, quam anima hominis habet in coërcendis & frangendis insultibus duplicis hostis, carnis scilicet, quæ continuò pugnat adversus spiritum, deinde dæmonis, qui nullo alio peccato magis gaudere dicitur secundùm quosdam, quàm impudicitix. Inter omnia Christianorum certamina, inquit S. P. N. (g) sola duriora sunt prelia castitatis, ubi quotidiana est pugna, & rara victoria: Gravem castitas sortita est inimicum, qui quotidie vincitur, & timetur.*

PUNCTUM II.

**E**xpende. Utilitatem Religiosæ Castitatis; illius enim beneficio liberantur Religiosi in-

finitis molestiis, & I. quidem carnis, quæ ubi vel minimum imperium obtinet, etiam Sapientes, ut liquet in Salomone & Davide, in barathrum vitiorum præcipites agit. Deinde familiæ gubernandæ, quæ tantas sæpè difficultates adjunctas habet, ut redigant ad desperationem, Patrifamilias incumbis curanda uxor, liberorum educatio, collatio filiarum, necessariorum procuratio, ut famuli & ancillæ officio fungantur, ut omnes probi sint: taceo varia incommoda & infaustos casus, qui quotidie vel uxoris protervæ vel litigiosæ, vel liberorum inobedientium, vel cognatorum litigantium causa incidunt. Religiosus autem, cujus cella cœlum, velut cœli cives, vocatione sua contentus, aliis necessaria ei curantibus, tantum suæ salutis procurandæ incumbit.

## P U N C T U M III.

**E**xpende, *Castitatis* necessitatem Religioso: nullo enim vitio bona Religiosorum fama proclivius obscuratur, quàm si contra *Castitatem* vel minimum quid delinquat. Sit religiosus aliquis paulò tenacior, curiosior, & iracundior, sit animo plùs æquo clarior, sit durior & asperior, nondum sanctitatis & pietatis jacturam apud homines facit, sed si sinistri quidpiam audiatur de *Castitate*, mox famam obscurat, quia non potest esse sanctitas, ubi est incontinentia; non potest esse Dei spiritus, ubi do-

dominatur caro, cujus ratio est, quòd alia vitia facile excusantur, vel quòd provenientes à complexione naturali, ut iracundia, vel quòd bono fine acciderint, ut parcitas vel asperitas. Verissimè proinde dixit *S. Legislator noster*, (h) *Omnibus Castitas pernecessaria est, sed maximè ministris Christi altaris, quorum vita aliorum debet esse eruditio, & assidua salutis predicatio.*

PUNCTUM IV.

**E**xpende. Damna vitii, Religiosæ Castitati oppositi. 1. Etenim teste *S. Augustino* (i) *nulla virtus, nulla bonitas, nulla sapientia cum luxuria stare potest, nulla justitia, sed omnis perversitas in ea regnat. Imò: Ratio à delectatione carnali ita absorbetur, quod impossibile sit aliquid intelligere, ut idem S. Doctor scribit, (k)* 2. Spinæ profert. *In luxuria libidinum quantæ spinæ!* exclamat *S. Legislator noster* (l) sed, quænam spinæ? morbi scilicet varii cum enervatione virium, infamia cum continuo metu, ne in crimine deprehendantur, relapsus frequens cum difficultate resurgendi, ac perpetuus conscientia remorsus, sic, ut, quòd sapiens de viro ait, (m) huic meritò tribuatur: *Blande ingreditur, sed in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet.* 3. Deus luxuriæ deditos in hac etiam vita gravissimè punnit; ita diluvio mundum perdidit, Sodomam cum vicinis urbibus igne de cælo extinxit, at-

que alios plurimos in ipſo flagitio ſubita morte oppreſſit. Author eſt magnus *Auguſtinus* (n) ipla nocte Nativitatis Domini Deo auctore natura veniente in carnem hoſtes omnes natura, præſertim vitio ſodomitico addictos, ſubitanea ac reproba morte interiſſe. *O infelix voluptas, ſuſpirat idem S. Præſul, (o) infelicior cupiditas atque luxuria! per tranſitoriam dulcedinem præparant ſempiternam amaritudinem.* 4. Severiſimè æquè poſt vitam animadvertit divina Nemesis in eos, qui ob brevem voluptatem Dei ac ſalutis ſuæ oblit, libidini vacant: & quidem eosdem ſtygiis iſſque nunquam finiendis ignibus addicendo. Quod damnum dolenti animo ſecum expendens Hipponenſis noſter Præſul, o *quanta iniquitas, inquit, (p) & quàm lugenda perverſitas, ut animam, quam Chriſtus ſuo ſanguine redemit, luxurioſus propter unius momenti delectationem libidinis diabolo vendat! Verè plangenda nimis & miſeranda conditio, ubi cito præterit, quod delectat, & permanet ſine fine, quod cruciat. Sub momento enim libidinis impetus tranſit, & permanet ſine termino infelicis animæ opprobrium.* 5. Vitii hujus gravitas immenſum excreſcit in homine per votum Caſtitaſis Deo conſecrato, propter adjunctum ſacrilegii flagitium, cum enormi injuria Dei, longè magis quàm ſi calix aut templum profanis aut impiis uſibus violaretur. Unde quæritur is apud Je-  
re-

remiam (q) *Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* Quare gravem ac horribilem sententiam fulminat apud Isaiam: [r] *In terra Sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini*, id est, cælo & salute excludetur. Quid si autem Religiosus, Christi Sacerdos, actibus luxuriæ se contamineat? O quàm grave portabit in gehenna supplicium! *Mundamini, qui fertis vasa Domini*, imperat Isaias [s] *Væ proinde illis, qui sancta immunde tractaverint, & sanguinem testamenti pollutum suxerint.*

### Documenta.

*Quædet diabolus luxuriam*, tu ô Religiose Canonice *tene Castitatem* [u] ita jubet S. Legislator tuus, modum docebunt te, quæ sequuntur *Castitatis* regulæ, quarum *prima* vult, ut quis sensus omnes externos accuratissimè custodiat, *per hos enim*, ut scribit idem S. D. N. [aa] *quasi per quasdam januas, aut mors aut vita ad animam nostram ingreditur.* Certè ut à sensuum injuria omne malum in animam illabitur, ita ex ejusdem *Doctõris nostri* sententia, [bb] *qui se abstinere ab illicito visu, auditu, odoratu, gustatu, tactu, propter ipsam integritatem Virginis nomen accipit.* Cohibendi sunt quidem omnes sensus, sed potissimum tactus, qui uti per totum corpus; diffusus: ita *omnium sensuum*

A a §

sum

suum D. Basilio [cc] perniciosissimus est, atque  
 oculi, quos anima fenestras S. P. N. [dd] appel-  
 lat, refrænandi, ne per eos mors in illam ascen-  
 dat, neque ii laxandi ad curiosa, & quæ sui  
 muneris aut fori non sunt, multò minùs ad il-  
 lecebrosa; *Castitas* enim pudibunda maximè est,  
 & quæ cogitare non licet, multò minùs in sen-  
 sum externum aut linguam admittit. *Non di-*  
*cat quis se animum habere pudicum, si habeat*  
*oculos, aut alios sensus, impudicos, cum im-*  
*pudicus oculus impudici cordis,* Augustino [ee]  
 sit nuntius Fædus cum oculis, Jobi instar, pe-  
 pigisse visus est Reverendissimus Præsul Rotten-  
 buechensis Michaël Fischer, ne unquam Virgi-  
 nem aspicerent. Testatæ sunt hæc nobiles quæ-  
 dam matronæ, quæ ab ipso, officii causâ, con-  
 vivio exceptæ, sanctè asseverârunt, Præpositi  
 oculos, ne quidem uno niçtu in se unquam fuis-  
 se convertos, cum averso potissimum à se toto  
 vultu sedisset. Corpus suum castissimum à nul-  
 lo unquam hominum passus est quacunque de-  
 causa, ulla sui parte denudari, cui rei etiam post  
 mortem duraturæ, severo interdicto cavet. Gra-  
 viter aliquando decumbenti Reverendissimo  
 Ranshoviensi Præsuli *Simoni* nostro, cùm Me-  
 dici vulgatum, sed pudori nonnihil iniquum  
 medicamenti genus applicare vellent [uti fuit  
 castitatis studiosissimus] constanti id animo re-  
 jecit, mitti se potiùs in mortem velle contesta-  
 tus



tus, quàm medium illud, utcunque salubre, adhibere. Alanus de Solminihac cum in suo brachio noxii humoris fluxione laboraret, medici quasdam unctiones præscripserant, quod tamen medicamentum absque alieni auxilii adminiculo ipsemet adhibere voluit, cùm verò Confessarius ipsius [erat is P. Leonardus Castenet, vitæ ipsius postmodum scriptor] suum obtulisset obsequium, eò quod cubicularium suum admittere noller, respondit, puritatem exigere, ne quispiam sui attactum etiam minimum, si fieri posset, permittat. Religiosissimus Præsul & Archi-Diaconus Garsensis Petrus Mittman noster, castitatis amore, nec levissimi joci vel amicitia etiam causâ passus est, ut unus alium vel manu prehenderet, vel vestem contingeret. Imò nec propiùs accedere vel sedere ad quempiam toleravit,

*Secunda est. Castitas* blanda, mollia & delectabilia refugit, delectatur autem asperis, hinc discretis pœnitentiæ operibus castigat corpus suum, & in servitutem redigit, vigiliis, ciliis, flagellis, humi cubationibus, & id genus aliis edomandæ libidini rebus idoneis, quas ingeniosus tortor, idémque castitatis amor aliis aliàs suggerebat. Ita piè in corpus suum sæviere ex pluribus nostris P. Petrus Forerius, & Reverendissimus Alanus, quorum hîc quadraginta omnino annis interno habitu vestitus, dimis-

fa duntaxat talari tunicâ, stramentitio thoro in-  
 cubuit, quem ita consui curavit, ut stramen-  
 moveri nullatenus posset: aliquot annis cilicium  
 continuò gestavit, nullum verò diem abi-  
 re est passus, quò non saxum in se flagello ani-  
 madverteret, luòsque humeros laceraret, adeò,  
 ut cruenta post se vestigia relinqueret. Has di-  
 sciplinas singulis annis sextis feriis, toto etiam  
 verni jejunii & adventus Domini, uti & Baccha-  
 naliorum tempore duplicabat, tantam ictuum  
 grandinem in se exonerans, ceu in corpus sen-  
 suum expers saxiret, [ff] Alter verò corpus  
 suum tam dirè habuit ceu metalli, cùm illud  
 foret, vel statua quædam ex are compacta: cilicium  
 tam asperum gerebat, ut illud spectan-  
 tibus horror incuteretur, quod nonnisi putre-  
 factum deposuit, aut morbo prostratus, adeò  
 tamen vermium colluvie scatens, ut in terram  
 projectum ab illis moveretur. Flagello uteba-  
 tur crassissimo ac cruore undique tincto, eo tam  
 crudeliter in se saxiens, ut in dorso hiatum si-  
 ve plagam, tribus digitis altam, consciverit  
 vermibus abundantem, qui carnem ad ossa us-  
 que maximo sui dolore absumerent, [gg] His  
 tertium jungo è Bavaria Canonicum Regularem  
 R. P. Alipium Possenhaimer Diessensem 27. Au-  
 gusti Anno 1669. defunctum, cilicii & amato-  
 rem & gestatorem, qui, quo sese magis affli-  
 geret, caligis etiam hinc inde infuebat laqueos

cilicinos. Certa ex causa à suo Præposito Augustam Vindelicorum ad quendam Aatholicum civem missus, dum ibi de more cilicio indutus pernoctasset, id manè surgens, tanquam Catholica austeritatis monumentum ibi reliquit. Cilicina porrò veste exemplo Patris sui *S. Augustini*, induiti incessere nostri *S. Bernardus Mentonius*, & *S. Laurentius Episcopus Dublinensis*, qui & quotidie tribus saltem vicibus acriter flagris se cadere confuevit, & plurimi alii. *B. Hartmannus Episcopus Brixinensis* noster nullo non die dorsum virgis ferendum Sacellano suo præbuit, assiduus aliàs cilicinæ vestis & ex pilis equorum confectarum caligarum die noctuque gestator, quæ vestis asperitas longiora somni spatia etiam ei exclusit. (g 3.) *R. P. Innocentius Keferlocher Decanus Diessensis* his piis flagellorum & ciliciorum savitiis non contentus, nocturno tempore plerumque nudo asseri, trunco culcitæ loco capiti substrato, indormiebat: æstate ex horto urticas ad cubiculum suum deportabat, quas dein hinc inde in lecto disperfit, somnum in illis noctu, ceu lilium inter spinas, capturus.

In demortui *P. Joachimi Endrys Garsensis* pulvinari post obitum repertæ fuerunt aliquot acutissimæ spinæ ceu studio corporis sui mortificandi certissimæ tesseræ. *B. Bernardus Blancus Venetus* noster, præter quod asperis disciplinis &

no-

nodosis flagellis, ecutis ferreis stellulis refertis, usque ad sanguinis effusionem in se sæviret, corpusque ciliciis ex equorum pilis, quibus nonnullæ tyrochneſtes insertæ, edomaret, illud quoque jejuniis, solo pane & aqua contentus, feriis quartis, sextis, Sabbathis, diebus Verni jejunii & Christi Natale antecedentibus per integros tredecim annos, vitæ suæ postremos, affligebat. (g 4.) Nec desunt sequioris sexus ex nostris, quæ æquè in se meritorie rigida extiterunt. V. Euphrosina ad S. Thomam Vicentiæ Canonica Regularis adhuc sub Parentum cura domestica constituta corpus cilicinis vestibus constringere, flagrisque ad sanguinem usque cadere cœpit. Maria à S. Francisco, gestando cilicinam vestem, flagellis quoque inter jejunia in tenerum corpusculum suum [nata quippe fuit ex Illustrissima Marchionum de Moy prosapia] animadvertit, monita verò, ne hujuscemodi austeritatibus vitæ annos sibi diminueret, moriendum suaviter pro Deo esse, reposuit. (hh) Anna Maria Huldigana Parthenonis Inzkoviensis in Suevia Religiosa, præter quod omnino nihil quod carni aut sensualitati blandiretur, admitteret, corpus suum ita dire quotidie habuit, ut ejus vivendi ratio nonnisi unicum sese affligendi studium suis Conсорoribus videretur. (ii)

*Tertia est, Castitas* carnem jejuniis & abstinentiâ escæ & potus domat, quantum valetudo

do aut obedientia permittit, adeoque temperantiam in quacunque corporis refocillatione imperat, ne fores excessui pateant, aut quidquam extra metas, ab ordine fixas, contingat. *Jejunium enim ex mente S. P. N. [k] mentem purgat, subleuat sensum, carnem spiritui subjicit, cor facit contritum, contribulatum, humiliatum, quod Deus non spernit. Concupiscentia nebulam dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verum lumen accendit &c.* Dapibus atque epulis, nec non ebrietati est inimica *Castitas*, quam quia summè amârunt Petrus Forerius, & Alanus de Solminihac, rigidissimas sibi, ut ex ipsorum editis vitis patet, abstinentias & jejunia indixerunt; V. P. Albertus de Altissimis ex Congregatione Lateranensi nostra indies modico pane & aquæ haustu contentus, longo tempore vixit, donec Superiorum imperio à cœpto rigore, valetudini ejus multùm adverso, desistere jussus fuit. R. P. Joachimus Endrys Garsensis gulæ juratus hostis, cibos oppidò amaros reddidit, quos tamen vix pro vita sustentanda sufficientes, pluribus saltem annis, admiserat. B. Hartmannus Brixinensis è Can. Reg. Episcopus omnem carniû esum sibi interdixerat, solishumi natis, & quales per cineralia adhiberi solent, cibus vesci consuevit.

*Quarta est, Castitas Religiosa otium malignum penitus proscribit, multam enim malitiam*

tiam docuit otiositas. Verè à gentili Poëta dictum:

*Otia si tollas, periëre cupidinis arcus.*

Ajebat olim Diogenes, *libidinem otiosorum negotium esse.* Verùm sub nomine otii æquè frivolæ confabulationes, ludicræ effusiones, curiositates & iners somnus venit. *Spiritus deficit, ubi caro quiescit,* inquit S. Legislator noster [ll] Petrus Forerius vir verè virgineus, somnum gustabat potiùs quàm capiebat, ita illius parcissimus fuit: frequenter tres noctes transigebat palpebris nunquam oclufis. Alanus ad lectum reluctante animo semper accedebat, indulgens somno pluribus annis non nisi quatuor horas. Somnum verè ignorabat P. Dionysius Capretta ex Congregatione Lateranensi, qui horâ quintâ, ac illâ sæpiùs interruptâ terminabatur. [mm] S. Gilbertus de Sempringham somnum non cubando, sed sedendo non tam capiebat, quàm fugabat. [nn]

*Quinta est. Religiosa Castitas* omnia, quæcunq; pravis cogitationibus vel propinquam vel etiam remotam ingerunt occasionem, studiosè declinat, maximè quasvis conversationes cum pueris formosis ac delicatulis, ubi generosi spiritus emasculantur, & tenerescunt. Visitationes quoque ac colloquia cum dispari sexu. *Noli ire ad colloquium mulieris,* monet noster Hugo de S. Victore, [oo] *ne sis separatus à regno Dei,*

Dei, & ne velis dicere, loquor cum muliere, & mundus sum. Quia sine ulla dubitatione, verba sunt S.P.N. (04) qui familiaritatem mulierum non vult fugere, citò dabitur in ruinam. Et nonnullis interjectis lineis. Qui cum mulieribus habitantes putant se castitatis obtinere triumphum, ignorant, se apud Deum dupliciter reos existere, dum se ipsos in periculum mittunt, & aliis exemplum perverse familiaritatis ostendunt. Mulierum etiam Sanctarum ac Religiosarum familiaritates à Castitatis amante sunt vitandæ, siquidem ex sententiâ sancti Doctoris nostri (pp) nec eo minùs fugienda illa sunt, quia religiose videntur, quantò enim religiosius, tantò citius alliciunt, & sub prætexitu pietatis latet viscus libidinis. Ipsa caro diversi sexûs hostis & laqueus est sufficiens, quæ dum sibi mutuo approximatur, animas etiam mundissimas solet inquinare & illaqueare. S. Theotonius author Congregationis nostræ & Monasterii S. Crucis Conimbricensis in Lusitaniâ ita fœminarum familiaritatem à se proseripsit, ut nec ipsarum auriculares confessiones, multò minus colloquia privata absque arbitro exciperet. Eum cum fœmina quædam decori vultûs verbis blandis in sui amorem trahere vellet, is dolum subodorans, nisu quo potuit efficacissimo in faciem impudentis scorti salivam ex imo pectore tractam projecit. Alio tempore ab aliâ magni nominis fœminâ in domum suam, nescio sub quo

Bb

pietatis

pietatis schemate, vocatus, cùm ad interius cubiculum, lociis à fœminâ exesse iussis, perductus, variis lenociniis ad turpia alliceretur, proterviam mulieris is miratus, ac simul signo salutiferæ Crucis efformato, relictis calceis nudipes fugâ sibi, alterius instar Josephi Ægyptii, consuluit. (qq) Pari zelo S. Petrus Pipertacensis noster impudicam mulierem, quæ ad labefactandam ejus pudicitiam advenerat, à se fugavit. (q3.) V. P. Albertus de Altissimis adeo omne commercium & alloquium fœminarum sibi interdixit, ut ne matrem quidem ad aspectum admiserit, satiùs esse ratus, mentis quàm corporis oculis eandem intueri, atque cum Deo illà absente tractare. (rr) Simon Ranshoviensium Præpositus parentem suam nec inter hospites quidem monasterio recepit.

*Sexta est, Castitas Religiosa* quotiuscunque à pravis suborientibus cogitationibus, imaginati-  
onibus, phantasiis aut tentationibus quibuscunque sibi insidias parari sentit, iisdem non immoratur, aut colludit affectui, sed è vestigio animum in tutiora convertit, obortasque tentationes continuò excutit, nec eas invalescere finit, usquè dum periculosa fiant, ægrè vincantur, ac repetitis ictibus conscientiam perplexam reddant. Dum parvus est hostis, interficiendus est, *parvulos allidendos ad petram* jubet Regius Vates (ll) *sed qui sunt hi parvuli Babylonia?*  
inter-



interrogat *Hipponensis Doctor*, (tt) respondet, nascentes mala cupiditates. Quando nascitur cupiditas, antequam robor faciat adversum te mala consuetudo, cum parvula est, elide illam. Sed times, ne elisa non moriatur? ad petram elide, Petra autem erat Christus. Dicta sua corroborat idem S. Doctor quam lucidâ, tam convenienti similitudine. (t 3.) Quomodo si aliquis carbones apprehenderit, si citò eos projecerit, nihil ei nocebunt: si verò diutius tenere voluerit, sine vulnere abire non poterit. Ita ille, qui ad concupiscendum oculorum defixerit intuitum, & libidinis malum in corde suscipiens, morati in corde suo liberè permiserit, excutere à se sine anima plagi non poterit.

Septima est. In tentationibus castitati repugnantibus confugere 1. ad vulnera & mortem Christi, nullum enim tam potens est, ait S. Augustinus, (uu) & tam efficax contra ardorem libidinis medicamentum, sicut mors Redemptoris. Et alibi (u 3.) Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione vulnerum Domini nostri Filii Dei extinguitur. 2. In auxilium vocare Deiparam, Angelum Tutelarem ac alios Cœlites, quos Castitatis Patronos novimus juxta illud mellei Doctoris (w) Si insurgunt venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice maris stellam, voca Mariam.

388 Pars III. Alim. Piet. Augustiniana  
riam. Et (z) Quoties gravissima cernitur urgere  
tentatio, voca Custodem tuum, ductorem tuum,  
adjutorem tuum, inclama eum, & dic: Domine  
salva nos, perimus. 3. Denique frequenter uti  
Sacramentis Pœnitentiæ & Eucharistiæ: Sedat  
siquidem, teste Cyrillo (x) cùm in nobis maneat  
Christus, sevientem membrorum nostrorum legem,  
pietatem corroborat, perturbationes animi extin-  
guit.

Quomodo verò contra Castitatis votum à  
Religioso peccetur, fori mei non est, sed Theo-  
logiæ Practicæ Doctorum, hic agere, id dunta-  
xat insinuo, quicquid in hominibus laicis extra  
conjugium peccatum contra castitatem est, illud  
in Religioso sacrilegium quoque contra votum  
esse, ac proinde duplicem habere malitiam, sic  
tamen ut malitia sacrilegii sit mortalis, in qui-  
bus actibus malitiâ libidinis est mortalis. Ven-  
ialis autem, in quibus est ipsa venialis. Porrò  
oportet Religiosum Canonicum ac quem vis  
alium voto Castitatis obstrictum abstinere ab  
omni actu impudico, cogitatione, delectatione  
morosâ, pollutione voluntariâ, turpi contactu  
& aspectu, liberiore congressu cum fœminis,  
ex quo nocitura libertas sequitur, risus indecens,  
gestus levior, membrorum jactantia, & id ge-  
nus plura quibus aliquando tota Castitatis ma-  
china ruit.

Tan-

Tandem amore castitatis etiam mundus sic vestitus tuus, munda cubicula & conclavia, ut nihil in illis sit inordinatum, nihil minus compositum, ut nunquam verecunderis, si magnæ auctoritatis vir ex improvisò cubiculum ingredia- tur : ne videlicet tum necesse sit, aliqua subito ex oculis amovere. Dum te ad dormiendum componis, nulla pars corporis nuda appareat, & situs jacentis in lecto sit talis, quem etiam in præsentia virorum gravium, si coram his neces- sariò jacendum esset, non erubesceres, vitabis- que omnem etiam ulnarum & brachiorum de- nudationem, non modò dum sanus, sed etiam dum æger decumbis. Exterior enim hæc com- posito & mundities index est & argumentum in- terioris.

(a) Lib. 1. c. 13. de Virg. (b) Ser. 249. de Temp. (c) Ser. 143. (d) lib. de vid. (e) sap. c. 5. (f) lib. 2. Conf. c. 7. (g) Ser. 250. de Temp. c. 2. (h) Ser. 249. de Temp. (i) Ser. 47. ad Fratr. (k) Apud Hieron. Hirnhaim per- jod. 4. nuc. 25. (l) in Psal. 102. (m) Proverb. c. 23. (n) Apud Hirnhaim loc. cit. (o) Ser. 55. de Temp. (p) Ser. 250. de Temp. (q) c. II. (r) c. 26. (s) c. 52. (u) Ser. 24. ex ineditis. (aa) lib. 50. homil. hom. 35. (bb) de Verb. Dom. Ser. 23. c. 2. (cc) apud Hirnhaim nuc. 26. (dd) in Psal. 41. (ee) cap 4. Reg. (ff) vit. c. 2. lib. 3. (gg) lib. 2. vit. c. 14. (g3) Constant. Ghinius 4. Aug. (g4) ex Vol. 2. Barvar. sanct. (hh) ex vitâ per Hilar. à Costa. (ii) ex docum. transmissis. (kk) Ser. 230. de Temp. (ll) super Ioan. (mm) ex Lyceo Later. (nn) ex vita apud Bolland. To. I. Feb. die 4. (oo) lib. I. miscell.

e. 91. (04) de Honest. Mulier. (pp) Apud Hirnhaim loc. cit (qq) ex vita per Can. Reg. anonymum conscriptâ apud Bolland. tom. 2. die 18. Feb. (q3) ex Prop. Can. Reg. 9. Sept. (rr) ex vita l. 2. c. 4. (ss) Psal. 136. (tt) in Psal. 236. (t3.) de Honest. Mul. in fine. (uu) cap. 23. Man. (u3.) Man. c. 22. (vv) Hom 2. super Miss. (z) Ser. II. in Psalm. qui habitat. (x) lib. 4. in Ioan. c. 17.

## CONSIDERATIO VII.

### *De Obedientia Religiosa.*

Mens Iusti meditabitur Obedientiam, *Prov.*  
cap. 15. v. 20.

### PUNCTUM I.

**E**xpende. Excellentiam Religiosæ Obedientia, quæ est inferioris ad Superiorem propter Deum voluntaria subiectio, voto stabilita. Eam comprimis S. P. Augustinus appellat, (a) in creaturâ rationale matrem quodammodo ac Custodem omnium virtutum. Et (b) omnis Iustitia originem atque perfectionem: nec non Virtutem radicalem, atque, ut dici solet, matricem & planè generalem. (c) Pluribus alii eandem effecerunt encomiis. Obedientia certè in sacris paginis antefertur victimis & holocaustis, cum in iis aliena caro mactetur, per obedientiam verò voluntas propria & libertas, quâ nihil pluris in mundo æstimatur: quare sepulchrum propria voluntatis vocavit Joannes Climacus Obedientiam, quam

quam Dei Filius tanti fecit, ut palam eos, qui voluntatem Patris sui facerent, loco matris suæ se habiturum esse, dixerit, imò ipse de cælis descendens, *non sicut homo*, verba sunt S. P. N. (d) *qui eligit facere voluntatem suam, non eius a quo factus est, sed ut cælestis Patris sui voluntatem impleret*, scilicet carnem humanam assumendo, in terris conversando, miracula patrando, populus doctrinam, quam à Patre hauserat, edocendo, ac tandem mortem Crucis in redemptionem hominum subeundo, *ut obedientiam doceret eos*, teste eodem S. P. N. (e) *qui non aliter, nisi per obedientiam salutem consequi poterant: in semetipso prius complens, quod ab aliis impleri volebat.*

2. Ipsi Angeli ministri Dei ad intelligendam, faciendamque ejus voluntatem paratissimi, nil agunt in cælis, ex sententiâ magni *Præsulis* nostri, (f) *nisi quòd divinis obtemperent nutibus.*

3. Ejusdem cum geniis cælestibus in æternum obediendi studii sunt reliqui sancti in cælo juxta illud ejusdem S. P. N. (g) *In cælo tanta obediendi erit suavitas & facilitas, quanta vivendi regnandique felicitas, & hoc æternum erit, æterumque esse certum est.*

4. SS. Virgo Virginum *Maria* solius obedientiæ merito & accommodando se divinæ voluntati ad *Deiparæ* dignitatē evecta fuit. Unde exclamat *S. Augustinus*: *O humilis obedientia, quæ dum fidem dedit, cæli opificem incorporavit!* (h) 5.

Obedientia in gratiâ exercitia, hominem reddit

Deo quàm simillimum, quantum scilicet hæc ab homine obtineri potest, dum reddit hominem conformem ejus voluntati, non enim beneficio memoriæ neque intellectûs evadit is Deo similis, sed per voluntatem, voluntas autem humana nunquam illi similior efficitur, quàm volendo, exequendôque, quod ille vult. Tales appellantur in divinis litteris Dii, non propterea solum, quòd iis divina voluntas significata sit, sed multò magis, quòd executioni mandata & opere ipso perfecta sit.

## P U N C T U M II.

**E**xpende. Ex præstantiâ *Obedientiæ* derivari magnitudinem meriti & copiam fructuum illius. Nam 1. *Obedientiæ* beneficio non solum omnia Religiosi opera meliora fiunt, sed etiam, quæ per se nullius sunt meriti, fiunt Deo grata & meritoria, ut ex *obedientiâ* comedere, ambulare animi gratiâ, cubitum ire; rectè proinde comparatur *Obedientiæ* virgulæ divinæ, quæ contactu suo omnia in aurum convertit. *Augustini* dictum est, *Citiùs exaudiri unam obedientis orationem, quàm decem millia contemptoris vel arrogantis*, (i) quod & S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis extra se raptæ divinitus revelatum, dum hæc verba sibi dici audit: *Multò majus esse in conspectu Dei parvum opus factum à Religioso cum obedientiâ & simplicitate, quàm aliud multò magis heroicum & apparens factum etiam pro Deo,*  
sed

sed cum in vestigatione & discursibus humana prudentia. 2. Obediens, dum in obsequium hujus virtutis voluntatem, malam illam bestiam, quæ sola mergit homines in gehennam, captivat, omnia salutis pericula, hostesque, carnem scilicet, mundum & dæmonem superat, juxta illud Salomonis: (l) *Vir obediens loquetur virtorias, & S. Augustini, (m) sola obedientia tenet palmam, sola inobedientia invenit pœnam.* Muntum quidem, dum vilipendit ejus vanitates: carnem, dum ejus cupiditates coërcet: dæmonem, dum ipsi resistit continuâ illâ subjectione, quâ pendet à nutu superioris sui. 3. Mortem etiam vincit obedientia, hæc enim S. Theodoro Studita recte (n) *mortis securitatem parit, & obedientibus licet esse imperterritos* (scilicet ad mortem & tribunal Judicii Dei) *qui dilecto se præbent, omnéque studium in obedientiâ ponunt.* Unde jure merito à S. Climaco, (o) vocatur *securum periculum, immediata ad Deum excursatio, tuta navigatio, confectum dormiendo iter.* *Quis dubitare potest de suâ salute,* ait B. Catharina Bononiensis in libello Dei jussu scripto. (p) *Si finiat vitam in obedientia? per quam credit firmiter, se melius salvandum, quàm per ullam pœnitentiam, jejunium & quamvis contemplationem.* 4. Ipsummet Deum vincit, ut obedienti nihil negare possit, ita nimirum par pari refertur, ut dum Deo obedimus, ille vicissim quasi mirâ dig-

natione nobis obediat juxta illud à se promissum, *Voluntatem timentium se faciet*, (q) Congruum siquidem est, ut si Dei voluntatem faciamus, quod ex sententiâ S. P. N. (r) *obediendo sit*, is vicissim faciat nostram: quo modo *Obedientia in Deo facit nos quasi omnipotentis* (s)

## P U N C T U M III.

**E**xpende. *Utilitatem Obedientia*. Primam assignat S. Augustinus hisce verbis, (t) *Magna utilitas est hominis jubenti Deo, etiam incognitâ jussionis ratione, servire. Jubendo enim Deus utile facit, quidquid jubere voluerit: de quo metuendum non est, ne non profutura precipiat: nec fieri potest, ut voluntas propria non grandiruine pondere super hominem cadat, si eam voluntati superioris extollendo præponat. Secunda est. Obedientia Religiosum eximit ab innumeris molestiis ac curis, quas quotidie experiuntur, qui in sæculo arbitrato suo vivunt. Obediendi enim omnium rerum suarum curam in humeros aliorum conjicit, & quasi infans alienis ulnis se gestari sinit, velûtque dormiendo iter ad cœleste regnum facit. Unaquæque anima, inquit S. Legislator noster (u) tantò est pietate purgator, quantò privato suo minùs delectata genio, legem universitatis intuetur, eique devotè ac libenter obtemperat. Tertia est, ad hanc virtutem concurrunt quasi ad pulcherimum opus ex pluribus gemmis concinnandum plures virtutes.*  
Nemo



Nemo enim se alteri homini in omnibus subiicit, nisi magno Dei amore ardeat, multâ etiam fide in eum & fiduciâ subnixus: deinde profundâ humilitate, patientiâ, fortitudine, & constantiâ præstans. Unde S. Gregorius (w) *Obedientia virtutes ceteras menti inserit, insertasque custodit.* Plures utilitates recenset Alanus de Solminihac noster (x) asserendo, *obsequentem perire non posse, obedientiâ non minùs, quàm fide hominem impeccabilem reddi; felicem enim esse, qui in omnibus obtemperat, & legitimi Superioris duxum sequitur, quod hac ratione plurimis periculis subducatur, vivâtque in pace, qua omnem humanum sensum exsuperat; non certius amoris in Deum indicium esse, quàm alacrem obedientiam.* Quin securitatem quoque habet obediens, ne illum Deus patiatur incurrere salutis periculum in iis actibus vel occasionibus, in quibus obedit, sed eum ac omnibus peccati laqueis custodiet, in quos etiam fortasse incidisset, nisi *obedientiam* ducem habuisset.

PUNCTUM IV.

**E**xpende. *Damna inobedientia I.* Gravissimè punitur. *Major vindicta,* scribit S. P. N. (aa) *iussionum refugum inobedientem consequitur, quàm præcepto obtemperantem.* Sensit hoc protoparens noster ac sera ejus posteritas, quem S. Augustinus alloquens ita inquit: (bb) *Inobedientia te subjecit morti, quia prohibitam arborem*  
teti-

tetigisti. Core, Datham & Abiron vivos terra  
 absorpsit: Saul regno exutus & vitâ, atque po-  
 pulus Israeliticus variis cladibus sæpius afflictus.  
 2. Mortis supplicium à Deo decernitur inobe-  
 dientibus: *Qui superbierit, nolens audire Sa-  
 cerdotis imperio, morietur homo ille.* (cc) Ex-  
 pertus est id Propheta ille Bethel, de quo idem  
 S. Doctor (dd) *meruit Propheta Altaris Bethel,  
 quoniam laboriosi itineris famem & sitim, ut sibi  
 iussum fuerat, non pertulit, inobedientia vindi-  
 ctam, mortem ipsam paulo post invenit.* 3. Deus  
 inobedientiam erga Superiores assumit ac vind-  
 icat ceu sibi exhibitam, unde ad Samuelem ait,  
 (ee) *non te abiecerunt, sed me.* Et Christus ad  
 Apostolos, (ff) *Qui vos spernit, me spernit.* 4.  
*Esse inobedientem, ex mente S. Basilii (gg) mul-  
 torum magnorum malorum radix est.* Hinc  
 omnes mundi hujus curæ, anxietates, labores,  
 ærumnæ, morbi, fames, sitis, egestas, bella,  
 dolores partûs, mors denique ipsa ac omnis ge-  
 neris peccata *inobedientiæ effectus sunt & pœnæ.*  
 Pulchrè Africanus *Præsul* noster (hh) *Eva ino-  
 bediens meruit pœnam, Maria obediendo conse-  
 cuta est gratiam.* 5. Præmium *inobedientiæ* est  
 infernus, ubi horrenda supplicia illum expe-  
 ctant, qui voluntatem suam placito superiorum  
 non subiicit, sed contra fidem Deo præstitam,  
 proprietariè ac sacrilegè usurpat, & per inferna-  
 lem hunc ritionem æternas sibi flammæ succen-  
 dit,

dit. Certè Alanus noster libentius adstantem lateri suo diabolum, quàm Religiosum inobedientem & immorigerum conspexisset. (ii) Ægidius Franciscanus, *recta eos ad inferos pergere*, asseverabat, qui in monasterio arbitrato suo & *pro suâ voluntate vivere volunt.* (kk) O malum execrandum!

Documenta.

**R**ecte vivere illum pronuntiavit Africæ oraculum *S. Augustinus*, (ll) *qui obtemperat præcipienti Deo*, addeo ego, legitimo superiori suo, *propter Deum.* Hoc te, ô Religiose Canonice! facturum voto firmasti, dum absoluto tyrocinio, solemni formulâ Prælato tuo *Obedientiam ad mortem usque servandam* in facie Ecclesiæ promissisti, idque propter Christum & ipsius amore, quæ in eo consistit, quòd Religiosus Prælato suo, sive Superiori, in cujus personâ Deus ipsi repræsentatur, omnem honorem areverentiam deferre, ejusque jussit parere sive obtemperare, atque suam voluntatem ejus voluntati subiicere sit obligatus. *Aggredere itaque intrepidus*, hortadore *Augustino*, (mm) & dicta factis imple, ipse adiuvabit, qui vota nostra expectit, idque juxta sequentia documenta, quorum *Primum est.* *Obedientia*, quidquid sibi præcipitur, quod tamen certum non sit, displicere Deo, omnino sic accipit, quasi Deus præcipiat, hinc

hinc ne latum unguem à Superiorum jussis discedit, sed accuratissimè quæcunque mandata sunt, pro justis & sacris reputat, imò pro melioribus & sanctioribus, quàm quæ vel propria vel aliorum hominum sapientia invenerit. Insinuat hoc Regula nostra, quando *Proposito*, aut qui aliorum curam gerunt, tanquam *Patri* obediendum præcipit. Sic planè constituta erat Alani nostri obedientia, qui ne illius merito defraudaretur, quamdiu Abbas Cænobii Cancellatensis extitit, regimini cujusdam directoris perfectè se subiecit, cujus vocem tanquam à Deo cælitùs sibi submissam acceptavit, nihilque egit, nisi prius ab eo præceptum, quin ipsam in ediam, aliasque mortificationes sibi præscribi curavit; quæ cuncta dein ad amussim observavit. (nn)

*Secundum est. Obedientia*, eò quòd in Superiore Deum respiciat, æquè imprudentis & indiscreti, ac prudentis & discreti, æquè morosi & asperi, quàm mansueti ac blandi, æquè indocti ac docti jussa submissè ac prompte exequitur: nec curat an Superior plures vel pauciores ætatis vel professionis numeret annos quàm subditus, an imperet propensioni suæ contraria, an ardua, an difficilia, imò & impossibilia. Omnia enim libenter amplectitur *obedientia*, cujus meritum ex operis injuncti difficultate crescit. Ita R. P. Petrus Forerius alicui fratri Adiutori Professo

fesso obtemperans, illius preces veluti totidem præcepta excepit, perfectiusque ab ejusdem voluntate pependit, quam non faceret aliquis Novitiûs erga suum Magistrum, non obstante, quod ea, quæ juberentur, suæ propensioni, suisque desideriis penitus adversarentur. (oo) Decessit Petrus opinione sanctitatis & post mortem quotidianis miraculis elarus. 9. Decembris Anno 1640. cujus beatificatio Romæ modò agitur. Paula Merendin Parthenonis Inzkoviani in Sueviâ Canonica Regularis ad obedientiâ præscriptum cuncta peragere oppidò adlaboravit, sive ea corpus concernerent, sive animum, dicere solita, experientiâ se didicisse, obedientem impossibilia etiam præstare posse. Quod ut verum probaret, jussit Novitiam quandam, cui Catharinæ nomen, betam candidam inverso ordine terræ inferere, quæ dictis audiens mandatum explevit effectu tam felici, ut in magnum fructum excreverit beta, cujus folia postmodum, ceu fructus obedientiæ Religiosarum Virginum mensæ appositæ fuerunt. (pp) Affine huic est, quod in rebus à P. Stephano Agazario Cong. S. Salvatoris Bononiensis nostro Authore gestis narratur. Percusserat tyro quidam Religiosus Cœnobii S. Donati prope Florentiam Ordinis nostri lignum aridum vitis cujusdam, quod ut morum Magister rescivit, terræ illud infodere, & aquâ quotidie irrigare jussit, qui morem præcipienti fideliter

ter gerens, tamdiu iussa adimplevit, quousque tandem demortuum lignum revixit, in magnam vitim excrevit, atque uvas optimas, in *obedientia* præmium, protulit: Stetit hæc vitis adhuc, teste oculato P. Conſtantino Ghinio (qq) initio præſentis ſæculi, ſtetiffêtque diutius ni bellorum injuriâ unâ cum Monasterio periiffet.

*Tertium est.* Verus *Obediens* Superioribus omnem reverentiam exhibet, hoc ipſo quia ſunt ſupremi Numinis Vicarii, quæ gemina eſt, exterior & interior: prior quoad externam geſtulatione modica eſt, ac pro cujusque Ordinis conſuetudine diverſa, ne tamen in auliciſmum vergat; altera in quâdam animi propenſione & præclaro ſenſu erga Superiores reperitur. Hinc procul à verâ obedientiâ oppoſitiones, contractiones, indignationes, item judicandi libertas, interceſſionum procuratio, ſollicitandi importunitas, appellatio ad altiores Superiores, circumventio per aliquam practicam. Hæc dæmonis artificia ſunt, inquit P. Hugo Roth è S. J. *in regiâ viâ virtutum*, quibus poteſtas Superioris debilitatur, & ſubditi indiffidentia contra illum coniiicitur.

*Quartum est.* Verus *Obediens* moderatoris nutibus obſequitur, non exſpectato ejus expreſſo mandato. Tales extitère Religioſi illi Canonici in Abbatîâ Cancellatenſi ſub Abbate Alano degentes, qui ad unicum duntaxat verbum,

uni-

unicum oculi nictationem, minimum Superioris voluntatis signum in ignem se coniecissent. (rr) Maria Huldigana supra laudati Cænobii Inzkoviani Religiosa aded exactè obedire novit, ut necessum fuerit, à superioribus probè antea examinare, quæ facienda ei injungerent, cùm ipsa non verborum sensum aut Superiorum mentem, sed nuda verba attenderet, diligentissimèque expleret.

*Quintum est.* Obediens suam voluntatem cum voluntate Superioris conformat, atque idem vult, quod ille vult, aut non vult, imò ad absentiam superioris suam quoque dirigit, ac idem quod ille non modò vult, sed etiam sentit, exequi studet, jussa ipsius approbat, judiciumque suum ejusdem judicio integrè submittit. *Impossibile enim esse,* dixit Alanus noster, (ss) *ut bono quis apud Deum loco sit, si non bene cum suo Superiore conveniat, hocque suo sanguine se roboraturum, & si res aliter se habeat, petere se, ut in extremo judicii die id sibi exprobetur.*

*Sextum* denique est, Obediens Deo auspice & ex motivo obedientia cuncta aggreditur, atque generosum in ardua, quando injunguntur, animum inducit, conaturque ut omnium executio sit perfecta, id est, integra, non ex parte tantùm pro mensurâ affectûs. Data fuit licentia cuidam Canonico Regulari Cænobii Gartensis in Bavariâ ad notum quodpiam monasterium proficiscendi,

ciscendi, atque ad statutum tempus ibi permanendi, quo elapso domum illico rediret. Accidit, ut pergratus hospes foret, & nequaquam statuto tempore dimitteretur, quare ei pileum & baculum occultarunt. Verum Religiosus obligationis suæ memor, neutiquam de Superioris sui tacita voluntate præsumens (quæ præsumptio & Epikeja multos seduxit, seducitque usque in hodiernam diem discretionis pallio) absque pileo & baculo domum remeavit, iter emensus aliquot horarum spatio. *Constans* usque ad præfixi operis absolutionem. *Velox*, etiam ad alterius inchoati omissionem. *Fortis* contra incidentes molestias. *Humilis*, obedientia enim, teste S. Augustino (tt) non nisi humilium esse potest. *Cæca*, non discernens inter levia & majoris momenti opera. *Fida*, non clanculo remissior quàm in aperto. *Simplex*, sine discussione, cum subjectione judicii: *divino*, Superioris, *intonante præcepto*, *obediendum est non disputantum*, verba sunt ejusdem S. Patris. (uu) *Prompta sine tergiversatione*. B. Mariæ de Sylva Lusitanæ Canonice Regulari nihil unquam demandatum erat, quin id incunctanter animo & opere expleret. (ww) *Hilaris*, sine mæsto corporis habitu, sine fronte contracta, sine vocis murmure.



Et hic est Spiritus obedientiæ perfectæ, à quo quisquis ob rationes humanæ prudentiæ de viat, non ille ducitur spiritu Dei, sed mundi & Politico, quem prò dolor, animæ quædam sciolæ, magno suo dispendio, contra Scripturæ, Patrum, Sanctorum Omnium sensum ac doctrinam nimis quam sæpè sequuntur. Expertus est, æternæ salutis suæ commodo, *obedientia* utilitatem in ultimo agone Canonicus ille Regularis Reicherspergensis in Bavariâ, cui pietas, quâ in vitâ excelluit, *Arnoldi Pii* nomen indidit, cum enim in supremâ illâ luctâ à nefariorum spirituum cohortibus, quæ se illi dabant in conspectum, multum impeteretur, obiicerentque ei plura minoris momenti, quæ nondum expiasset. Tandem ut monstraret Sodalibus Arnoldus, quàm verum esset Dei Verbum addicentis *Obedienti Victorias*, paulò ante, quam Kal. Februarii Anno 1166. efflaret animam, lætus exclamavit, *Io Obedientia! Io Obedientia!* (y)

Plura pro perfectâ *obedientia* observatione lege, mi Religiose Canonicæ, quæ habent Constitutiones Congregationis nostræ Gallicanæ Monachii anno 1660, impressæ, par. y. cap. 7. R. P. Carolus Faure noster in Palæstrâ Religiosa sive Institutione Novitiorum pro Ordine Canonicorum Regularium c. 27. §. 1. & 2. atque conversus ad Deum, dic submissimâ animi reverentiâ cum *S. Legislatore*

404 Pars III. Alim. Piet. Augustiniana  
latore tuo (xx) sit obedire tibi, mihi amabile;  
& resistere tibi, execrabile!

(a) Lib. 14. de Civ. c. 12. (b) in Psal. 71. (c) lib. de bono conjug. (d) lib. 8. de Gen. ad lit. c. 2. (e) lib. 1. de incarn. Verb. c. 19. (f) Ser. 65. de diver. (g) de Civ. lib. 19. c. 27. (h) apud Maurit. Abb. Langheimens. in Tub. cæl. (i) lib. de of. Monach. (k) vita 4 part. c. 4. (l) Prov. c. 21. (m) Ser. 34. de Verb. Dom. (n) Ser. 13. (o) Grad. 4. (p) de armat §. 7. (q) Psalm. 144 (r) Ser. con. Arr. c. 7. (s) Ita discurret P. Corn. à Lap. S. 1. in cap. 21. Prov. (t) lib 3. de ver. Inn. c. 28. (u) lib. 83. quest. qu 79. (vv) apud P. Leonar. Casten in vita Alni lib 3. c. 17. (x) lib. 25. mor. c. 10. (aa) in Epist. que premittitur lib. de mirab. S. Script. (bb) in Psal. 70. (cc) Deut. c. 17. v. 12. (dd) loc. cit. (ee) 1. Reg. c. 15. (ff) Luc. 10. v. 16. (gg) in Reg fus Reg. 119. (hh) lib. de s. bar. c. 5. (ii) in vit. loc. cit. (kk) apud Hirnhaim fol. mihi 307. (ll) lib. 17. de Civ. c. 4. (mm) apud P. Hirnhaim fol. 65. (nn) in vitâ. (oo) lib. c. 10. vita. [pp] ex documentis transmissis. Obiit Paula Merendina 28. Augusti anno 1627. [qq] in Natal. SS. Can. 28. Octob. [rr] lib. 1. c. 14. vit. Alani. [ss] lib. 3. c. 17. vita ejusdem. [tt] lib. 14. de Civ. c. 13. [uu] lib. 16. de Civit. c. 32. [vv vv] P. Arturius in Gynetico Sac. die 1. Feb. [xx] lib. Med. c. 7. [y] part. n. 30.



PUN-

## CONSIDERATIO VIII.

### De Renovatione Spiritûs & Votorum.

Renovamini spiritu mentis vestræ. *Ad Ephes.*  
c. 4. v. 23.

#### PUNCTUM I.

**E**xpende. Eam esse humanæ conditionis infirmitatem, ut, quamquam Religiosus Dei gratiâ adjutus, vi professionis ac trium votorum emissionis *Templum Dei* effectus sit juxta illud *S. Augustini*. [a] *Quid vovimus Deo, nisi ut templum Dei simus?* atque magnis passibus ad insignem sanctitatis gradum feratur, facile tamen vis, illa propositi sive difficultatibus occurrentibus frangatur, sive suapte sponte (quæ humanæ voluntatis inconstantia est) concidat, sive oblivione, quæ *S. P. N.* [b] *Privatio memoriae est*, sive denique aliis ex causis [quæ hîc exprimendæ erunt] intepescat, Verissimè enim dixit *Africanum Oraculum* [bb] *Multos in Novitate suæ Conversionis ferventer orare, addo, legere, meditari, obedire &c. postea languidè, postea frigidè, postea negligenter.* Quare ad hanc inconstantiam proscribendam, ad hanc oblivionem evitandam, spirituale verò profectum promovendum nihil adeo necessarium est, quàm frequens *Sui ac Votorum Religiosorum Renovatio*, secundùm illud *S. Legislatoris nostri* [c]

Bona est repetitio, ne subrepat oblivio: quâ illorum uti & virtutis ac perfectionis non solum in communi, sed & in particulari eâ investigatur idea, quæ instituto proprio congruit, & ad quam in nobis efformandam, Deus non vocavit, specialiter advertendo, quantum ab eâ aberraverimus, ut gradum revocare, & prima illa lineamenta, quæ Deus quondam in animâ nostrâ duxit, si quâ parte oblitterata sunt, restaurare possimus. Quoties aliquod peccatum, scribit idem S. P. N. [d] aut cogitando, aut loquendo, aut etiam operando perficimus, templum Dei destruimus, & ei qui in nobis habitat, injurias irrogamus. Et ideo si quis in se templum Dei sordidavit, vel forte usque ad fundamenta destruxit, dum tempus est, cum Dei adjutorio studeat reparare perditâ, erigere lapsa, destructaque exstruere. Quare

## PUNCTUM II.

**E**Xpende. Spiritualis hujus templi deformationis, vel omnimodæ etiam destructionis præsentissimum remedium esse repetitam ac feriam Spiritus, Votorumque innovationem. Est verò se innovare. 1. Renovare priorem illum spiritum ac fervorem, quo Deus aliquando nos, seu ipso conversionis exordio, seu postea cumularat, atque sic intelligendus est Apostolus scribens ad Ephesios [e] *Renovamini spiritus mentis vestre.* Quæ verba more suo acutè S. P. N.

N. elucidans [f] ait : *Nihil aliud dicit, nisi renovamini mente vestrà, sic enim spiritus mentis nihil est aliud, quàm mens, quomodo Corpus carnis nihil potest aliud esse, quam caro.* 2. Innovare se, est spiritualis vitæ juventam iteratò inducere, atque ut ibidem loquitur D. Paulus: *Exuere veterem hominem, & induere novum, sive ut S. Doctor noster loquitur, mutare mores, verba illius sunt, [gg] mutare mores: Saculum diligebatis, Deum diligite, nugatoria iniquitatis, temporales voluptates diligebatis, proximum diligite. Sed quid est novus homo, interrogat porro Africanus Presul noster [h] ut illum induas?* respondet sibi, *a vetustate innovatus: ad quam rem innovatus? ad desideria cœlestia, ad concupiscenda eterna, ad patriam, qua sursum est, qua hostem non timet, desiderandam.* Aliam explanationem, *quid sit exuere veterem hominem & induere novum, ex P. Edmundo Augerio Soc. JESU in documentis infra intelliges.* 3. Innovare se, est sese convertere, sive vivendi formam tepidam, laxam, legibus ac Regulæ minùs conformem immutare in meliorem. Ea mens fuit Vatis Regii, dum ait, [i] *Dominus animam meam convertit, renovavit & ad statum pristinum reduxit.* 4. Renovare tria vota, est excitare obligationis memoriam, quâ Deo in primâ eorundem emissionem nos obstrinximus, ad exactiorem illorum observantiam, ad devotionis au-

gmentum, & majorem in vocatione confirmationem. *Quisque*, inquit S. P. N. [k] *quod volueris, voveat, illud attendat, ut, quod voverit, reddat. Unusquisque Deo, quod vovet, si respicit retrorsum, malum est.*

## PUNCTUM III.

**E**xpende. *Renovationis Spiritus & Votorum* præstantiam & utilitatem: nam præter quod illa sit efficax remedium oblivionis, inconstantia ac teporis nostri, quoties renovantur promissiones Deo factæ, uti cœlitus in raptu quodam S. Maria Magdalena de Pazzis intellexit, fit 1. quædam renovatio unionis cum Deo, & acquirat anima dilecta unionem plus vel minus, secundum statum perfectionis, in quo reperitur & secundum Charitatem, quam habet in se. 2. Solatium est SS. Trinitati, quoniam est renovatio complacentiæ internæ, quam habet anima in seipsâ, & de seipsâ, cum tali oblatione Deo factâ, revocando semper primam delectationem primæ oblationis cum novâ complacentiâ & novâ delectatione. 3. Deiparæ Virgini tantopere est grata, quantum si ipsa renovaret votum puritatis, 4. Est gloria Angelorum, quia vident adimpleri illas inspirationes, quæ ab illis subministrantur. Est etiam 5. exaltatio sanctis, quia vident suum creatorem habere sequaces per ipsorum vestigia. 6. Est solatium Choro Virginum, quæ revocant Cantum novum,

rum, videntes augeri illud, quod tanto cum affectu exercuerunt, accrescitque gloria illis, quia quoties fit hæc renovatio, festum illarum quasi agitur. (l)

Porro *Renovando Vota*, imò solummodò de iisdem sibi complacendo remissio omnium peccatorum quoad pœnam obtinetur, (m) animæque, ut eidem S. Mariæ Magdalænæ de Pazzis revelatum, acquirit maximum fructum, cum in eâ augeantur gratiæ, promissiones factæ fortificentur, atque nova pax & unio nascatur. Tandem *Renovatio Votorum* tanquam malleus est, quo clavos hosce spirituales (ita tria religiosa vota appellant ascetici scriptores) altiùs in animum immittimus, ac vota quasi reflexis cuspidibus iteratò defigimus, ita ut nec à cruce resilire, nec ab ipsâ liberi possimus in mundum reverti. Unde liquet, verba sunt S. Ivonis Carnotensis nostri, (n) *hujusmodi traditiones, sive renovationes, nihil esse aliud, quàm religionis vincula, humane instabilitati prævisa. Quoniam omnis traditio Religionis, novitate & raritate viget & floret, antiquitate verò & numerositate, nisi districtè ligetur & servetur, frigescit & vilescit.*

### Documenta.

UTere & tu, ô Religiose Canonice! hoc, in spiritu nunquam tepescendi præsentissimo, at-

que à Sanctis & Religiosis viris ob frequentem  
 usum adeo laudato remedio, testes hujus veri-  
 tatis adduco nonnullos, sanctos Franciscos Alli-  
 sium, Xaverium, Borgiam, Salesium, S. Igna-  
 tium, S. Carolum Borromæum, S. Gertrudem,  
 alios. B. Hartmannus è Canonico Regulari  
 Episcopus Brixinensis in Comitatu Tyrolensî vir  
 cœlestium rerum contemplationi oppidò addi-  
 ctus, otium à gravibus Episcopatûs sui ac etiam  
 Imperii negotiis nactus, frequens secessit ad Col-  
 legium Neo-Cellense, non procul ab eâdem Ci-  
 vitate Brixinensî distitum, vulgo *Neu- Stiff*  
 appellatum, quod ipsius suasu, nec sine cœlesti  
 prodigio pro Canonicis Regularibus ad Deipa-  
 ræ honorem Reinbertus nobilis ac locuples Dy-  
 nasta construxerat, ut inibi animum cœlesti qui-  
 ete palceret, spiritumque innovaret.

Ut verò cum fructu hæc renovatio à te pe-  
 ragatur, quibusdam conditionibus ea prædita  
 esse debet, scilicet ut sit opulenta, eximia, te tuò-  
 que instituto digna.

*Opulenta* quidem & *copiosa*, ac quæ secum  
 ferat & affluentiam virtutum, & damnorum  
 reparationem. Experimur siquidem in vitâ  
 spirituali magnam temporis, magnam bonorum,  
 magnam meritorum jacturam nos facere: te-  
 stantur id examina conscientiæ, nostra compre-  
 candi legendique exercitia, plena tepiditatibus  
 & negligentis: admittimus tot defectus in pie-  
 tate



rate, in refranatione cupiditatum, in charitate, in usu & consuetudine hominum, in intentionibus, idque Deo spectante, teste conscientia & eo, cui conscientia nostra arcana per generalem confessionem explicamus: quæ haud dubiè à te emendanda, corrigendaque sunt juxta duplicem doctrinam *S. P. N.* Prima est. *Quod modo peccamus, inquit, (o) cito emendate debemus, & non addere peccata peccatis.* Secunda est: *Ascede mentis tua tribunal, & constitue te ante te, & judica te, & si prævum inveneris, corrige te. (p)*

*Eximia* verò, seu *omnium optima*, & cui nulla præteritarum queat comparari, ita ut dici possit, hic Religiosus, hic Sacerdos, hic frater novus est, est alius ab eo, qui fuit, penitus immutatus è bono in meliorem, ut agnoscì vix queat: non est amplius ille, ita jocos, ita garrulitati deditus, nunc in Eucharistia usu frequentior est, nunc sine morâ mane è lecto se proripit: non ambit nunc officia, tritis vestibus nunc delectatur, amat exerceri vilipendique, ut ametur, nil pensi habet: & peractis negotiis nihil querit studiosius, quàm in cellâ aut coram venerabili demorari. *Eximia renovationis* nomine potest etiam intelligi illa, quæ non tantùm non cedit, verùm etiam, si fieri potest, præcellit omnibus ferventissimis renovationibus Religiosorum Religiosarumque, quin & Cælitum, qui dum viverent, crebras sed semper

per acceptissimas Deo, Angelisque obstupescendas renovationes usurparunt. Expende tecum, qualis fuerit renovatio nostrorum P. Petri Forerii, Alani de Solminihac, P. Caroli Faure, P. Nicolai Guinetti, P. Petri Gentilis Cancellatenfis, prò quales viros, dum hos nomino, & similia, cogita quid egerint, cùm huic vacarent exercitio, quanto æstuarint desiderio excolendæ paupertatis, Castitatis, & obedientiæ, quantam curam gesserint orationis, modestiæ, victoriæ sui, charitatis & observationis Regularum, rerumque minimarum, quæ maximo possent esse ad perfectionem consequendam præsidio: cõrumque vestigia non tantùm sequi, verùm etiam præire contende, ut *renovationem* tuam præstes omnimodo *eximiam*.

Denique *digna te tuoque instituto*: digna filio S. Augustini, si *Canonicus Regularis* aut *Augustinianus* es: digna S. Norborto aut S. Dominico, si vivis inter *Dominicanos* vel *Pramonstratenses*: Verbo, *digna isto instituto*, cui nomen dedisti: renovando te præcipuè in *spiritu Vocationis tuæ & Ordinis*, quandoquidem nulla Religio existat, cui non scopus peculiaris præfixus sit, & aliqua præ cæteris virtus diligatur. *Canonicorum Regularium spiritus situs est in devotione exemplari, charitate obsequiosâ & obedientiâ amoris affectu stipatâ.* (q) Religiosissimæ Societatis *IESU* hominibus à S. Legislatore suo  
 Igna-

Ignatio obedientia perfecta proposita est, ut ad hanc veluti symbolum, quo à cæteris distinguantur, contendant præcipuo studio. (r) Virgines *Visitationis S. Mariae à S. Francisco Saleſio* institutæ, singulariter incumbunt *animi candidæ simplicitati*. Moniales Congregationis *Marianæ* (vulgò *de Notre Dame*) à V. P. *Petro Forerio* nostro erectæ, peculiarem curam habent puellarum tam pauperum quàm divitum instituendarum, eoque sine scholas publicas aperiunt. *Canonica Regulares* nostræ, *Hospitalariae* dictæ, se totas *servitio infirmorum* in nosocomiis impendunt, qualis fuit V. Virgo *Catharina* à S. *Augustino* in *Canadâ* sive *Novâ Franciâ* 8. Maji anno 1668. sanctissimè defuncta, (s) & ita de reliquis. Adeo ut renovatio præcipuè spectare debeat *spiritum propriae cujusque vocationis*. Quapropter innovandæ sunt totius diei actiones omnes, attendendo num cuncta ritè peragantur in oratione, in choro sub psalmodiâ & cantu, in examinibus, in lectione & conversatione, in cibo & quiete capiendis, in pœnitentiarum usu, in frequentatione Sacramentorum, in omnibus denique iis, quæ consentanea sunt vitæ à te initæ, & illi, in quâ degis, societati. Efficient hæc *renovationem te dignam, tuæque vocatione*; & ut in promptu sit, quod tibi ipsi respondeas, si forte te interroges, quo pacto S. Bernardus tolebat sæpe sibi stimulos addere, &

ad

ad fervorem instituto suo proprium revocare ;  
*Bernarde ad quid venisti ? cur hoc vitæ genus*  
*aggressus es , cur hunc habitum induisti ? Idem*  
*tu , ô Religiose Canonice à te exige , nomen tuum*  
*tibi perspectum est , illud crebrò compella , &*  
*ipse tibi responde , non tam verbis quàm ope-*  
*ribus , & optimis fructibus Renovationis digna ,*  
*talisque , qualem à te Deus exspectat . Quem si-*  
*nem eò faciliùs obtinebis , si continuum bellum*  
*amori proprio , hostium scilicet nostrorum in-*  
*quietissimo , maximeque domestico (Fontem om-*  
*nium vitiorum & malorum ipsum appellat S. P.*  
**N.** (t) indixeris , ardentique tuî ipsius ac præ-  
 vararum cupiditatum , nec non indomitarum pas-  
 sionum tuarum victoriæ desiderio exarseris .

Quod verò *tempus idoneum spiritualis tuæ*  
*innovationis ac votorum renovationis attinet ,*  
 sunt quibus placent tres postremi dies anni ex-  
 euntis . Præclarissima S. Ignatii Familia annuè  
 bis hanc renovationem instituit , semel ad festum  
 trium Regum , iterum ad finem Junii die Apo-  
 stolorum Principibus sacro . Religiosæ Visita-  
 tionis Mariæ , festo *Virginis Presentatæ & Vi-*  
*sitantis , Cœlestinæ , Salutatæ & Natæ Virginis ,*  
*Ursulinæ festo S. Augustini , nonnullorum die-*  
*rum præmissâ præparatione . Religiosissimi Pa-*  
*tres Congregationis nostræ Gallicanæ bis sin-*  
*gulis annis in manibus Superioris vota reno-*  
*vant , prævia per decem dies spirituali in silentio ,*  
 medi-

meditationibus & sanctis exercitiis recolectio-  
ne. Ad hæc singuli quolibet mense, die affig-  
nato, totos se per quasdam meditationes, sibi à  
Patre spirituali traditas, ad renovanda animi sui  
desideria conferunt, silentium in illo sancto se-  
cessu servant. (u) Discalceati Carmelitæ per  
annos singulos festo *Crucis exaltatae & Epipha-  
nia* pio solemnique ritu in Oratorio idem è con-  
ceptâ formulâ cum aliquâ parænesi faciunt, quâ  
finitâ unusquisque proponit, se virtutem unam  
aut plures usque ad proximam renovationem  
culturum. (w) Clerici Regulares Theatini  
singulis diebus, antequam cubitum concedunt,  
vi legum suarum (aa) flexis genibus coram  
Deo professionem seu vota sua reiterant, quod  
& S. Franciscum Xaverium, S. Mariam Magda-  
lenam de Pazzis Carmelitanam & alios fecisse  
ex illorum vitis constat. Reverendissimus Ala-  
nus de Sôlminihac, & Abbas & Episcopus exi-  
stens, eundem modum tenuit, singulis diebus in  
oratione vel extra illam vota sua restaurans, qui  
& singulis annis exercitia spiritualia semel &  
iterum obibat, iis viginti & amplius diebus di-  
catis, quin anno 1652. integram quadragesi-  
mam in honorem *secessus Filii Dei in desertum*  
eisdem impendit. Hic idem Alanus, raro pror-  
sus exemplo, *quartum Votum*, majorem Dei glo-  
riam in quibus vis majoris momenti negotiis  
quærendi, ad instar Seraphicæ Matris S. There-  
sæ

fæ anno 1626. emisit, quod, ut quam fidelissi-  
 mè exsolveret, atque semper suæ inhæreret me-  
 moriæ, continuèque præ oculis haberet, indies  
 renovavit, vel in oratione, vel ad aram, sacram  
 Lyturgiam faciens. Fuit etiam hoc votum ipsi  
 instar animæ, ac primariæ horologii rotæ, cujus  
 directione nihil non ad majorem Dei gloriam  
 vipore atque generositate incomparabili perage-  
 bat. (bb) P. Bartholomæus Didacus de Saura  
 Vota sua in horas singulas instaurabat. Quâ  
 in re supra fidem hominum excelluit R. P. Jaco-  
 bus Cerrutus Italus vir è Societate Jesu Romæ  
 die 28. Aprilis anno 1573. cum opinione sancti-  
 tatis defunctus, qui quotidie tribus millibus vi-  
 cibus vota sua renovavit, semel vero in Octavâ  
 Epiphaniæ viginti quatuor millibus vicibus.  
 (cc)

Hæc frequenti votorum renovatione mini-  
 mè contenti V. Mater Joanna Francisca Chanta-  
 lia prima Virginis Visitatæ Religiosa, P. Joan-  
 nes Princen è Soc. Jesu, & S. Franciscus Xave-  
 rius, Formulam, quâ Religiosis votis Deo se ad-  
 strinxerant, collo appensam, secum ferebant,  
 ut nunquam initi cum Deo fœderis obliviscen-  
 tur. Experiebatur sanè Xaverius frequenti hæc  
 votorum renovatione, mentis suæ, sicut aquilæ,  
 juventutem innovari. (dd) Unde & cætera in-  
 ter, quæ Societatis Jesu Religiosis tanquam res  
 magni momenti commendabat, erat, *ut sub me-*

*ditâ.*

ditatione contra Sathana impetus & insidias, vota renovarent quotidie.

Tuum nunc est, mi Religiosè Canonice, præclara horum virorum & fœminarum exempla studiosè imitari, penitiùs statum animæ ac vocationis tuæ inspiciendo, negligentias ac transgressiones Regulæ, Constitutionum ac Votorum tuorum serio corrigendo, ac promissa tua, Deo facta, exactius eidem reddendo. Defecisti hactenus sæpius à supremo Imperatoris imperio, cui te per vota semel adstrinxisti: Romanos milites imitare, in verba Imperatoris denuo jurare coactos, quoties eos deficere, vel ad defectionem propendere contigit. *Impiger debet esse animus, ex sententiâ S. P. N. (cc) ut voteat & reddat*, idque non semel in anno, sed sæpius, imo quotidie, quid enim opus procrastinatione? Quid Christi Natalia, quid festa Paschalia exspectanda, jam nunc ordire. *Renovantur*, inquit B. Laurentius Justinianus, *Viri perfecti penè singulis horis, quatenus configurentur increata imagini, ad cujus imaginem creatos sese cognoscunt.* Hanc quotidianam Spiritûs Renovationem Gentium Apostolus à nobis videtur exigere scribendo Corinthiis, (ff) *Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is, qui intus est, Renovetur de die in Diem.* Rigidus certè votorum exactor, & votifragorum ultor ac vindex est Deus. Et parum est, Chy-

rographum cujusque Professi in Monasteriorum Archivis asservari; ab Angelis idem in cælo scribitur, coram tribunali supremi Judicis aliquando proferendum, aliis in gloriam, aliis in confusionem æternam, quam ne & tu incurras, cave.

*Tempus optimum erit matutinum, dum in Ecclesiâ sanctissimum Sacramentum invisis, aut finitâ meditatione sub colloquio, aut sub sacro, dum illud audis, aut si Sacerdos illud dicis, eo finito gratias hospiti tuo munificentissimo reponis, vel dum à prandio signum datur Angelicæ Salutationis, vel denique cùm peracto conscientiæ examine, salutatâque Eucharistiâ cubitum concedis. Præmium iteratæ hujus Renovationis feres, quod animus tuus propositi tenacior, virtute ditior, & merito cœlestis adipiscendî præmii cumulatio evadat. Sed en! Paradigmar enovationis Votorum.*

## FORMULA

### Renovationis Votorum.

**E**GO N. N. renovans vota mea ad eorundem obligationem in memoriam revocandam, ad gratias de Ægypti per divinam gratiam egressu referendas: ad munus, quod ipso Professionis die obtuli Deo, veluti iterandum, ad protestandum, quod si per vota Deo me non

tra-



tradidiffem, hodie lubens totaliter traderem, ad intentionem, quâ cum ingressus sum Religionem, si sinistra fuit, reformandam, ad resumendum novum ac firmum de non violandis impostertum votis meis propositum; ad rogandum summâ cum animi devotione Deum meum, ut excessibus & defectibus meis contra vota mea commissis parcat, & mei miserrimi peccatoris sic misereatur, ut mihi gratiam efficacem largiri, ad professionem meam incorruptè servandam, propter peccata mea non dedigneretur. Ego, inquam, ob has causas renovans vota mea, in unione sacrosanctæ Oblationis, quâ Filius Dei Christus Jesus, à primo sanctissimæ Incarnationis instanti, ad mortem crucis usque, Patri suo se totum obtulit, totum me trado in victimam Deo meo, & promitto ipsi, ac sanctissimæ Virgini Mariæ, S. P. Augustino, superiorique meo Obedientiam, Castitatem, & Paupertatem secundum Regulam ejusdem Sancti Patris Nostri Augustini.

## ORATIO

### Pro Observantiâ Votorum.

**D**ulcissime Domine JESU Christe! corona Sanctorum Omnium, tu mihi hanc mentem inspirasti, ut relicto hoc naufrago & periculoso mundo, tecum velut in desertum pœnitentiam

D d 2

actu-

acturus concesserim, & per paupertatis, obedientiæ & Castitatis semitam, tanquam per viam arctiorem ad æternæ beatitudinis regnum te consequeretur. Tu Domine, qui mihi hoc velle dedisti & incipere, da quoque progressum & exitum salutarem, ut hæc tria vota, quæ absque te reddi tibi non possunt, ita tibi reddam, ut nihil habeam proprium aut quod paupertati, quam sum professus, contrarium sit. Nihil dicam, agam, cupiam, quod aduersetur obedientiæ. Nihil denique expetam vel cogitem, quod possit lædere corporis aut mentis Castitatem. Hæc sunt Domine JESU cœlestia tua dona nobis misericorditer collata. Da ut eadem usque in finem sic observem, ut anima mea in horâ mortis meæ suavem hanc vocem tuam audire mereatur: Veni Sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum, Amen.

### Oratio alia brevior.

**F**iat Omnipotens sempiternæ DEUS, ut quarum tuarum Majestati piè vovimus, fideliter reddere non moremur, ne tibi displiceat in nobis *stulta promissio*, sed *fidelis* placeat votorum observatio, Amen.

Quid

Quid sit exuere veterem hominem;  
& induere novum?

Ex P. Edmundo Augerio Soc. Jesu.

**C**alcaste mundum, semper expertem suæ  
Electiois, Præsulis nutum sequi.  
Ambire acerba perpeti; nihil suum  
Reputare in terris, sensuum domito impetu  
Animique brutis motibus, terræ accolam  
Cælo morari mente, censorem sui,  
Animi latentes sæpe scrutari sinus,  
Diligere socios, simplici prudentiâ  
Utendo, multa facere, perpauca loqui,  
Tribuere honorem cæteris, nihil sibi,  
Cupere latere nomen obscurum, omnibus  
Uni explicare, contrahere frontem, alteri  
Vigilare, jejunare, nunquam conqueri,  
Onerare cælum precibus & nomen Dei,  
Per utrasque solis ignivomi domûs  
Atheum rebellem frangere, hæreticum insequi,  
Per flammam & enses ruere pro causâ Dei,  
Hoc est Theophilum dicier hominem novum.

(a) In Psal. 131. (b) lib. 10. Conf. cap. 16. (c) lib.  
50. hom. 42. c. 11. (d) Ser. 210. de Temp. (e) c. 4.  
v. 23. (f) lib. 4. de ani. & orig. c. 22. (g) de 10. chor. c  
7. (h) Tract. 30. in Ioan. (i) Psal. 22. ex vers. Symm.  
(k) in Psal. 75. (l) in vita c. 118. (m) Pellizarius tom.  
1. Tract. 1. c. 4. n. 15. Antonius Carraciolus in synopsi

veterum Relig. fol. mihi III. & II2 ex S. Bernardino Senensi & Dionysio Carthusiano. (n) epist. 41. ad Goffr. Abb. (m) ex vita. (o) ser. 39. de Sanct. (p) de verb. Apost. Ser. 19. cap. 6. (q) in vitâ Alani lib. I. c. 10. (r) Paul. Barri, in Trid. Hagio. die I. diff. 1. (s) Bre- viariam illius vita à me editum fuit Augusta anno 1671. (t) de Civit lib. 1. cap. 22. (u) Constr part. 1. c. 3. & 3. (vv) Corn. Lancil in luc. vit. perf. part. I. f. 185. (aa) part. 2. c. 1. (bb) lib. 1. ap. c. 9. & lib. 2. c. 4. Vita Aland, qui sanctissimè ex hac vitâ de- cessit 31. Decembr. Anno 1659. post mortem piè ipsum invocantibus, beneficus, (cc) Lancicius tom. 2. opusc. 12. fol. mihi 27. P. Ioan. Nadaf. in anno dier. mem. Soc. Iesu 28. April. (dd) Tursel, in vit. l. 1. c. 3. (ee) in Ps. 132. (ff) 2. Cor. 4.

## F I N I S

Libri mei, sed non Pietatis Augustinianæ,  
quam nullis limitibus claudi, nullo fine termi-  
nari, Plusultra tendere animi mei  
Votum est!



¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ : ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶  
 ¶  
 ¶

EPISTOLA  
 S. AUGUSTINI  
 CXLVIII. Ad VALERIUM.

*In quâ docet, quibus dotibus præditus esse  
 debeat, qui ad Paracialem curam assumitur.*

**A**Nte omnia peto, ut cogitet religiosa pru-  
 dentia tua, nihil esse in hâc vitâ, & ma-  
 ximè hoc tempore, faciliùs & latiùs, &  
 hominibus acceptabiliùs Episcopi, aut Presby-  
 teri, aut Diaconi officio, si perfunctoriè & adu-  
 latoriè res agatur : sed apud Deum nihil mise-  
 rius & tristius & damnabilius. Item nihil esse  
 in hâc vitâ, & maximè hoc tempore, difficilius,  
 laboriosiùs, periculosiùs Episcopi, aut Presby-  
 teri, aut Diaconi officio : sed apud Deum nihil  
 beatius, si eo modo militetur, quo noster Im-  
 perator jubet. Quis autem iste sit modus, nec  
 à pueritiâ meâ, nec ab adolescentiâ meâ didici,  
 & eo tempore, quo discere cæperam, vis mihi  
 facta est meritò peccatorum meorum. Nam  
 quid aliud existimem nescio, ut secundus locus  
 gubernaculorum mihi traderetur, qui remum  
 tenere non noveram. Sed arbitror Dominum  
 meum me sic emendare voluisse, quia

Cilianæ  
 S. Bernardin  
 41. ad Giff.  
 (p) de verb.  
 lib. I. c. 10.  
 ff. l. (c) Bre.  
 arguæ anno  
 Causy part. 1.  
 tit. perf. part.  
 l. 1. c. 1. c. 1. c. 1.  
 de hat vitâ de  
 mortem pæ offum  
 2. 1. 1. 1. 1. 1.  
 dir. mem. Soc.  
 3. (e) in 21.



multorum peccata Nautarum, antequam expertus essem, quid illic aditur, quasi doctior & melior reprehendere audebam. Itaque postquam missus sum in medium, tunc cœpi sentire temeritates reprehensionem mearum, quamquam & antea periculosissimum judicarem hoc ministerium. Et hinc erant illæ lacrymæ, quas me fundere in civitate, ordinationis meæ tempore nonnulli fratres adverterunt: & nescientes causas doloris mei, quibus poterant sermonibus, qui nihil ad vulnus meum pertinerent, bono tamen animo consolati sunt. Sed multò amplius quàm putabam, expertus sum, non quia novos aliquos fluctus aut tempestates vidi, quas ante non noveram, vel non audieram, vel non legeram, vel non cogitaram: sed ad eas evitandas aut perferendas solertiam, & vires meas omnino non noveram, & alicujus momenti arbitrabar. Dominus autem irrisit me, & rebus ipsis ostendere voluit me ipsum mihi. Quod si non damnando sed miserando fecit (hoc enim spero certè vel nunc cognitâ ægritudine meâ) debeo Scripturarum ejus medicamenta omnia scrutari, & orando ac legendo agere, ut idonea valetudo animæ meæ ad tam periculosa negotia tribuatur, quod ante non feci, quia & tempus non habui. Tunc enim ordinatus sum, cum de ipsius actionis tempore ad cognoscendas divinas scripturas cogitarem, & sic nos dispo-

nere

nere vellemus, ut nobis otium ad hoc negotium posset esse. Et quod verum est, nondum sciebam, quid mihi deesset ad tale opus, quale me nunc torquet & conterit. Quod si propterea in reipsâ didici, quid si homini necessarium, qui populo ministrat Sacramentum & Verbum Dei, ut jam mihi non liceat adsequi, quod me non habere cognovi: jubes ergo ut peream Pater Valeri? ubi est Charitas tua: Certè diligis me, certè diligis ipsam Ecclesiam, cui sic me ministrare voluisti, & tamen certus sum, quòd me & ipsam diligis. Sed putas me idoneum, cùm me ipse me nossem, nisi experiendo didicissem. Sed dicit fortasse sanctitas tua, vellem scire, quid desit instructioni tuæ; tam multa autem sunt, ut faciliùs possem enumerare, quæ habeam, quàm quæ habere desidero. Audeo enim dicere, scire me, & plenâ fide retinere, quid pertineat ad salutem nostram; sed hoc ipsum, quomodo ministrem ad salutem aliorum, non quærens, quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant? Et sunt fortassis aliqua, imò non est dubitandum, esse in sanctis libris conscriptâ consilia, quibus cognitis & apprehensis possit homo Dei rebus Ecclesiasticis ordinationibus ministrare: aut certè inter manus iniquorum vel vivere conscientia saniore, vel mori: ut illa vita non amittatur, cui uni corda Christiana humilia & mansucta suspirant. Quomodo au-

tem hoc fieri potest, nisi, quemadmodum ipse dicit Dominus, orando, legendo, plangendo? Ad quod negotium mihi pravum tempus, vel usque ad Pascha, impetrari volui per Fratres à tuâ sincerissimâ & venerabili charitate; & nunc per has preces volo. Quid enim respondurus sum Domino Judici? Non poteram jam ista quærere, cum negotiis Ecclesiasticis impedirer. Si ergo mihi dicat: Serve nequam, si villa Ecclesiæ calumniosum aliquem pateretur, cujus fructibus colligendis magna cura impenditur, neglecto agro, quem rigavi sanguine meo, si quid pro eâ agere posses apud Judicem terræ, nonne omnibus consentientibus, nonnullis etiam cogentibus, & jubentibus pergeres? Et si contra te judicaretur, etiam transmare proficisceris, atque hoc modo vel annuam vel amplius absentiam tuam nulla querela revocaret, ne alius possideret terram, non animæ sed corpori pauperum necessariam? quorum tamen famem vivæ arbores meæ multò facilius mihi que gratiùs, si diligenter excolerentur, explerent?

Cur ergo ad discendam agriculturam meam vacationem temporis tibi defuisse caularis &c.

DIS-

Disser  
 vendi Patris  
 congregationis  
 habita in C  
 scribit in Rega  
 supra fol.  
 primi Spiritu  
 Regularium  
 pr  
 quam serid pe  
 canonicorum Reg  
 etiam istam d  
 tum hic ordo la  
 edaravit, (pat  
 nes status fut  
 non eandem te  
 alipitu ductu  
 m Canonici Re  
 a, qui eos pra  
 a adjunxerunt  
 tantur, singul  
 & semitas à  
 us amplecti fr  
 quod tam anti  
 et spiritum d  
 et. Elifæus à  
 tie pignus, &  
 creverat.



## DISSERTATIO

*Reverendi Patris Claudii Du Molinet Congregationis Gallicanae Canonici Regularis, habita in Comitibus Generalibus anno 1672. Parisiis in Regali Abbatia ad S. Genovefam, cujus supra fol. 405. mentio facta, in qua idea primi Spiritus Ordinis Canonorum Regularium Sancti Augustini proponitur.*

POSTquam seridè perpendi, quisnam *Ordinis Canonorum Regularium Spiritus* esset, atque materiam istam diu discussi, videbatur mihi, quod, cum *hic ordo* sæculorum plurimorum, quibus perduravit, spatio plures mutationes, ac differentes status subiverit, dici quoque possit, quod non eandem semper viam tenuerit, neque eodem spiritu ductus fuerit: Verùm quemadmodum *Canonici Regulares simplicium Canonorum*, qui eos præcesserant, statui plus, quàm nomen adjunxerunt; ita pariter Spiritus, quo ducebantur, singulares eisdem conceptus inspiravit, & semitas à suorum antecessorum diversas eos amplecti fecit. Advertitur nihilominus, quod tam antiqui illi *Canonici*, quàm *Regulares* spiritum duplicem habuerint, qualem scilicet *Elisæus* à suo Magistro, ceu quoddam amicitiaë pignus, & in suæ fidelitatis præmium desideraverat.

Ca-

*Canonici*, qui observantias disciplinæ Canonicae, sæculo octavo ad finem vergente, reassumere cœperunt, ab inordinato videlicet atque irregulari vivendi genere, in quod prolapsi erant, emersuri, ut certam vivendi normam haberent, sese ad vitam activam ac completivam applicarunt, hoc pacto perfectius propriae proximorumque salutis operam navaturi, id quod proprie ad ipsorum ordinem spectat. Atque duplici isthoc Spiritu S. Rigobertus Archiepiscopus Rhemensis se vestivit, eumque Canonici suæ Cathedralis inspiravit, quos etiam circa annum 750. reassumere fecit vitam communem, aliasque Canonicas observantias, à quibus recesserant, uti videre est in ejus vitâ cap. 2. n. 9. sub his verbis: *Erat quippe, ut Canonica dogmatizat institutio, exteriorum occupatione, internorum curam non minuens, exteriorum providentiam internorum sollicitudine non reliquens.* Notat optimè Vir sanctus, Spiritum internum cum externo, & vitam activam cum contemplativâ, veluti *Canonica institutio* docet, conjungere, ut occupationes externæ ejus interna exercitia nullo modo diminuerent: nec ingens illa ad res spirituales applicatio ullo modo impedimento erat negotiis externis: Adjungit deinde rationem, asserens, *ne aut exterioribus deditus ab intimis aliquando corrueret, aut solis interioribus occupatus, quæ foris debebat proximis, non impen-*

penderet. Supponit itaque, *Canonicum* duplicem habere obligationem, ut suo ritè muneri satisficiat, imprimis, ut Orationi aut Meditationi vacet, deinde ut proximorum etiã curam habeat, occupando se in functionibus, quæ Sacramentorũ administrationem respiciunt, ac Dei Verbi prædicationem. Quapropter si *Canonici* tales perfectè esse velint, vitam activam & contemplationem conjungere debent; ne scilicet nimium se exteriũs occupando, spiritum internum, quo omnia eorum opera sanctificari decet, amittant: vel interiori spiritui nimium addicti, proximo se communicare negligent, cui tanquam Clerici & membra Hierarchiæ Ecclesiasticæ spiritualiter assistere debent.

*S. P. Augustinus*, qui perfectissimam Ordinis ac Spiritũs Clericorum & Canonicorum notitiam habuit, satis clarè explicat, lib. 19. de *Civit. Dei* cap. 19. quod *hic spiritus in hâc duplici vitâ contemplativa & activa* consistat. Nam posteaquam egit de obligatione illorum, qui functionibus Ecclesiasticis etiam eminentioribus se impendunt, postquam locutus fuit de secessu & quiete eorum internâ, ut sibi ipsis vacent, rem hanc hisce verbis concludit: *Quomobrem otium Sanctum quarit charitas veritatis: negotium justum suscipit necessitas charitatis, quam sarcinam, si nullus imponit, percipiendam atque intendendam vacandum est veritati: si autem*  
*ivi.*

imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem: sed nec veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suavitas, & opprimat ista necessitas. Ex quibus verbis clarum fit, quoniam verus sit *Canonicorum Spiritus*, qui videlicet consistit in *vitâ mixta*, & ex utrisque *Marthæ & Mariæ negotiis* conflatur, *actione scilicet & contemplatione*. Et certè dubium esse non potest, quin antiquis illis sæculis Canonici intra Monasteriorum septa fuerint inclusi, ut ibidem discerent, non plorare, sed orare ad hoc, ut ibi sibi ipsis vacarent, & virtuti fundamentum ponerent, antequam foras progredierentur ad alios sanctificandos, quando nimirum ritè ad id muneris vocantur. Meminisse nihilominus eos semper oportet, eâ cum cautelâ huic muneri se adaptare, ut facilè intra seipos reverti queant, & in orationis quiete reparare vires, quæ in actionis negotio amittuntur.

Quod concernit *Spiritum Ordinis Canonicorum Regularium*, qui legitimi sunt antiquorum illorum Canonorum Successores, existimo paucula illa verba, quæ in Epistola I. S. Pauli ad Tim. c. 6. v. 6. leguntur: *Magnus questus pietas cum sufficientiâ*, eundem perquam optimè exprimere, siquidem is optimo jure in duabus hisce virtutibus stabiliri potest, in solidâ videlicet pietate, nec non mediocritate quâdam atque sufficientia rerum ad vitam necessarium, quæ

quæ verè est ingens thesaurus, & lucrum quoddam satis considerabile, *Magnum quasi pietas cum sufficiendâ*, pietate quidem pro animæ nutrimento serviente, & hâc honestâ mediocritate pro corporis sustentatione, ut adco homini duabus ex partibus composito, hoc modo suppeditur, quidquid legitimè desiderare potest.

Cùm virtus duabus extermitatibus ceu quibusdam septa limitibus in medio consistat, dici quoque potest, felicitatem & quietem humanæ conditionis certâ quadam vitæ mediocritate circumscribi, quæ nec abundet nimium, nec indigeat plurimum. Horatius Pindarum secutus, quanti media hæc via facienda sit ostensurus, eam *auream* esse pronuntiat, *Auream quisquis mediocritatem diligit*. Et Regius Vates sapientissimorum, qui unquam extitère, regum unus, hanc ipsam ceu donum reliquorum omnium pretiosissimum contentis à Deo precibus efflagitat; Divitias & paupertatem ne dederis mihi, siquidem hæc conditio à turbis & inquietudinibus, quæ plerùmque divitias & paupertatem consequuntur, planè libera & immunis est.

Istud enimverò non solum apud varios secularium status, sed inter Ecclesiasticos etiamprehenditur, quorum nonnulli bonis ac divitiis abundant, veluti quidam Beneficarii, qui proventus Ecclesiæ non alteri usui impendunt, quàm

Molineti  
er charitatis no-  
Ratio deserenda  
opprimat ista  
atum fit, quis-  
isus, qui videli-  
x utrisque Mar-  
actione filio-  
tum esse non po-  
Canonici intra  
clui, ut ibidem  
e ad hoc, ut ibi  
damentum po-  
reantur ad alios  
tute ad id mu-  
philominus eos  
hinc moneri se  
reverti quanto  
ites, quæ in ali-  
rdini Carvica-  
sunt antiquo-  
cellores, existo  
titola I. S. Pat-  
Magnum quasi  
petquam qui-  
timo iure in tra-  
potest, in soliti  
educare quidam  
ritum mscellatio-

quàm ut avaritiæ satisfaciant, luxum foveant, quinimò per sepe vitiis ac sceleribus alimentum sufficiant: licet tales quoad speciem felices appareant, certissimum nihilominus est, nullâ eos tranquillitate frui posse, quòd pietate careant; nunquam illis aculei conscientiæ desunt, quibus ipsis immergi voluptatibus, continuè fodicantur; nihil aliud in seipsis quàm perennes objurgationes audiunt, quòd vitam statui suo minimè conformem agant, mortis etiam atque divini iudicii metu percelluntur, ut fateri teneantur, nullam ibi pacem esse, ubi pietas exulat. *Non est pax impiis. Isa. c. 48. v. 22.*

Aliud hominum in Ecclesiâ genus est priori è diametro oppositum: profitentur isti sublimem pietatem, nec alteri rei operosiùs dant operam, quàm huic in praxin deducendæ; ita à bonis terrestribus abstracti vivunt, ut quidquam nec in communi nec privatim possideant. Vocantur isti *Religiosi Mendicantes*, qui voluntariam paupertatem spontè sunt amplexi, ut magis à mundo abalienati, Deo arctiùs uniantur. Verùm status iste, etsi planè sanctissimus, non tamen labore ac sollicitudine vacat; cura quarrendi res ad vitæ sustentationem necessarias, nec quicquam inquietudine immunis est: nemo alteri onerosus est & importunus, quin confusio qualis tandem interveniat, & corpus penuriâ laborans, frequenter spiritus fervorem disturber.

Ter-

Tertia verò classis hominum viam mediam tenens, profusionem primorum, & indigentiam posterorum declinat, & à perturbationibus atque incommodis, quæ illas consequuntur, salutem præstat. Eam autem constituunt Religiosi vectigalibus annuis dotati, qui solidam pietatem cum sufficientia rerum ad vitam necessariorum conjungentes, illum utique thesaurum inveniunt, quem S. Paulus tanti æstimat: *Questus magnus pietas cum sufficientia*: pietas & sufficientia felicissima *Canonicorum Regularium* fors est, quorum *Spiritus* ab hac mediocritate nunquam deflectens, medium semper duos inter prædictos status tenuit; nam si primi bonis abundant, posteriores autem iis carent, *Canonici Regulares* eorundem sufficientia gaudent.

Si priores in luxu versantur, ac purpura & serico induuntur, ac posteriores crassâ à lana tunica paleaque contenti sunt; *Canonicos Regulares* necesse est vestiri honestè, ita ut vel nimio habitus splendore, vel nimia ejus immunditiâ nullius offendant aspectum. Si priores lautas mensas, oblectamenta, aliasque vitæ delicias appetunt, posteriores è contrario in ediam, austeritatem & pœnitentiam sectantur; quemadmodum *Canonici Regulares* de priorum molitie sibi cavere debent, sic etiam ad posteriorum rigorem ne utiquam obstringuntur: semper nimirum secundum *Spiritus Ordinis sui* vivere censebuntur,

tur, si simul cum justa mediocritate solidam  
conjungant pietatem. *Pietas cum sufficientia.*

*Pietate*, quæ disponit, animatque primaria  
*Canonicorum Regularium* munera, nihil firmitus  
est, eorum siquidem ordo, qui est Hierarchicus,  
cùm ad duas in Ecclesia functiones planè sanctas  
& divinas destinatur, ad persolvendum imprimis  
solemni ritu divinum in choro Officium,  
deinde ad Sacramenta aliis administranda, Deique  
verbum disseminandum, fieri nequit, ut  
condignè sine pietatis adminiculo satisfaciant,  
nam absque ea Cantus noster aërem duntaxat  
verberabit; ceremoniæ, quas obimus, haud aliud  
præ se ferent, quàm invenustam fictamque oris  
compositionem, & cultus, quem supremæ Majestati  
exhibere volumus, omni fructu, meritoque carebit.

Quod ad Sacramentorum administrationem,  
Dei verbi disseminationem, & curam salutis animarum  
spectat, manifestum est, neminem dare posse,  
quod ipse non habeat, & Pastorem obligatum,  
ut aliis pietatem & sanctitatem instillet, id præstiturum  
nunquam, si non prior ipse sit eadem repletus,  
*de plenitudine non de penuriam largientes*; & consequenter,  
si teste D. Paulo Apostolo I. Tim. 4. *Pietas ad omnia utilis est,*  
hæc singulariter *Canonicis Regularibus* necessaria  
erit, ut condignè muneris sui obligationi satisfaciant,  
Sed, si spiritus Ordinis nostri,

qua



quatenus hominem internum gubernat, in pietate consistit, dici quoque potest, quod *Canonicus Regularis* quoad externam apparentiam mediocritate regatur. *S. Augustinus* Legislator noster primus tam in vitâ quàm in Regulis suis viam nobis sternit; ita certè de eo *Possidonius* loquitur: *Iste Beatus mediu[m] tenebat, neque in dexteram neque in sinistram declinans, vestes ejus, calceamenta, & lectualia ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abjecta plurimum.* In Regula verò sua *Vir sanctus* eandem mediocritatem in habitu nobis commendat, dicens: *Non sit notabilis habitus vester:* Mirandum itaque non est, si *Canonici Regulares* sæculo duodecimo, quo *Ordo Canonicus* renascebatur, & novo quodam rigore induebatur, acceptata *S. Augustini* Regulâ, ipsius quoque spiritum in hac mediocritate omnibus in rebus, quas commendavit, ac ipso opere præstitit, subsecuti sint.

In consultationem advocare possum duos eximii nominis, istius ævi viros, qui simul clarissima *Ordinis nostri in Francia* fuere sidera, *Stephanum* nimirum *Tornacensem*, *S. Genovefæ* Abbatem, & *Petrum Comestorem* ad *S. Victoris Parisiis* Religiosum, qui eò aptiores erunt ad nos hac in re instruendos, quod ipsimet primos inter de hujus illustris *Reformationis*, sæculo duodecimo in *Ordinem* inducitur, *Spiritus*

participarint: uterque nos docebit, eundem justam quandam rerum omnium mediocritatem ab utroque excessu alienissimam amplexum fuisse.

Stephanus Tornacensis cuidam Priori Canonicorum Regularium, qui vitæ solitariae stimulatulus desiderio, posteaquam non sine magno virtutis exemplo triginta & amplius annis in communitate vixisset, in eremum in medio cujusdam sylvæ sitam sese abdiderat, scribens illi insinuat, quod tametsi in animo non habeat hoc austerum juxta & operosum vitæ genus ipsi dissuadere, si nihilominus, antequàm illud complecteretur, se consuluisse, nunquam consilium suum daturus fuisset ad illud suscipiendum; *sufficiebat, sunt verba Stephani, tibi mediocritas Augustini.*

Petrus Comestor ex Trecensi Canonico, Regularem Canonicum ad S. Victoris Parisiis sacculo duodecimo professus, clariùs adhuc in quodam sermone loquitur ad suos Confratres in ipsa *S. P. Augustini* festivitate habito (reperitur impressus inter sermones Petri Blessensis) volens enim tractare de hac rerum temporalium sufficientia, utpote *spiritui ac Regula sancti eorundem Patris* conformi, illud Prov. 25. v. 16. pro argumento assumpsit: *Mel invenisti, comede, quod sufficit.* Cùm illis ostendisset, quod essent fundati juxta praxin vitæ communis ab Aposto-

lis

his observatæ, subjungit, cui Pater Augustinus quasdam supererogationes de mediocritate vivendi adjunxit, quæ debeat esse regula omnium eorundem actionum; subintelligit autem Regulam S. Augustini. Prosequens deinde sermonem, magnum hunc Doctorem *Canonicum Regularem* ad instruendum alloquentem ita introducit; *Ait Augustinus ad Canonicum, mel invenisti, id est, vitæ mediocritatem, quam auream appellat Philosophus; Character enim Ordinis tui mediocritas in victu, vestitu, habitu, incessu, tonsura, in psallendo & hujusmodi: superfluitas talium superponit intemperantiam, nimia austeritas quandoque parit impatientiam.*

Ex his considera suavitatem mediocritatis in tribus, quod sit *sufficiens, quæta, secura*. Monstrare deinde pergit vim ac virtutem trium istorum effectuum mediocritatis, quæ proin absque controversia *proprius character ac spiritus Canonicorum Regularium* est. *Character Ordinis tui mediocritas*. Hoc principio, quod stabilire conatus sum, posito, arbitror ex eo quatuor sequelas deduci posse.

*Prima* est, neminem imaginari sibi debere, *Canonicos Regulares*, etsi vitam communem, atque ab ea paupertate ac austeritate, quæ in aliis Ordinibus observantur, exemptam ducere videantur, non admodum esse religiosos, aut ab ardua Regulæ observantiâ relaxatos esse: sequitur

E c 3

præ-

præterea eos non adeo benè *spiritum Ordinis* apprehendisse, qui *Congregationes Canonicorum Regularium* instituerunt, qui à carnibus & hinc abstinere, miserè vestiuntur, nudipedes incedunt, foccis duntaxat ex ligno utentes, quales sunt reformati *Canonici Regulares S. Georgii de Alega* in Italia & Sicilia.

*Secunda* est, tametsi *Canonici Regulares* ab suâ Regulâ nequicquam obligentur ad hanc externam paupertatem & corporis austeritatem reapse exercendam, eos tamen nequicquam carpēdos, quin potiùs laudandos esse, qui divino instinctu permoti, sponte hæc pœnitentiæ exercitia arripiunt ceu media ad majorem perfectionem deveniendi, sequentes scilicet permissiōnem & consiliū ipsiusmet *S. P. Augustini* dicentis: *Carnem vestram domate jejuniis & abstinentia esca & potus, quantum valetudo permittit.*

*Tertia* est, etsi *Canonici Regulares* non ad arctam illam paupertatem obstringantur, quæ in Religiosis aliis notatur, eos sollicitè sibi cavere debere, ne nimia laxitate excedant, nihil pretiosi, superflui, vel nimium curiosi in vestitu, suppellectile, mensâ, aliisque rebus omnibus, usui suo accommodatis, habeant, quod sagaciorum possit oculos offendere, suique status modestiam violare, ne fiat, quod cujusquam offendant aspectum, sed vestram deceat sanctitatem,

at-

atque ne id exprobrationis loco cogantur audire: *sufficiebat tibi mediocritas* Augustini.

Quarta demum est, quamvis *Canonicorum Regularium* vita sit communis, eorum nihilominus pietatem haud communem esse debere, quod ea *principalem Spiritus Ordinis illorum* partem constituat: hæc quemadmodum *ad omnia utilis est*, sic etiam omnia eorum opera animare debet: pretiosum illud *hæc* est unguentum, quod super omnes ad ministerium Ecclesiasticum cum Aarone vocatos à capite ad oram usque vestimenti descendere debet, hoc est, omnes eorum actiones à maximis ad minimas usque hoc balsamo perfundi necesse est. Resplendeat itaque *pietas* ista in officiorum divinorum celebratione, in exacta cæremoniarum observatione, in puritate & ornatu Altarium & templorum, hac sola instigati suggestum conscendant, ex eodem Verbum Dei annuntiaturi; procul hinc omnis vanitas & ostentatio faccessat, hac sola ad acceptanda beneficia moveantur, ut proximorum salutem & sanctitatem procurent; nullo autem modo desiderio libertatis & propriæ commoditatis in eadem se intromittant, scilicet ne eorum in censum veniant, qui foris sepulchra dealbata apparent, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, spiritu, quo amentur, privatis.

## CONCIO

*Stephani Canonici Regularis S. Augustini ex Abbate S. Genovesæ Parisiensis Episcopi Tornacensis, habita in Festo ejusdem Divæ ad Canonicos illius Ecclesiæ, ubi Rochetti & Cappæ mysteria ample & piè explicantur.*

Quæsit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum. *Prov. c. 31. v. 13.*

**A**Nno ab Incarnatione Domini 1147. factum est verbum in palatio Regis cœlestis, & fideliter pertractatum ac feliciter consummatum. Venerunt Nuntii, qui dicerent Ecclesiam Apostolorum Petri & Pauli in monte Acuto sitam, in qua gloriola Virgo *Genovesa* requiescit in corpore, multis expositam periculis, & informi statu suo morum potiùs quàm murorum minari ruinas, filios ejus singulariter & sæculariter vivere, æmulari, agere perperam, inflari, ambire, quærere, quæ sua sunt, vagari post greges sodalium suorum, & Ecclesiastica stipendia, quæ sunt tributa egentium animarum, pro voluntate & voluptate sua consumere, portiones de communi facere, & non vivere in communi, divina officia minùs sollicitè, minùs devote, minùs religiosè celebrare, diurnum pariter & nocturnum horarum pensum debitum non sol-

solvere, nec curare. Propter hæc præsentem statum mutari debere, & mundari sancta, & in meliùs ordinari, placuit sermo in oculis Domini Sabaoth, & principum ejus, qui ait, vera sunt hæc, quæ dicuntur, & correctionis manum desiderant. Sed cura hæc (inquiunt Principes cælestis aulae) difficilis est, quia invaluit moribus & consuetudinem objiciunt, quæ est contraria veritati. Et ego, respondit Dominus, non sum consuetudo, sed veritas. Mala autem consuetudo non minùs quàm perniciosa corruptela vitanda est, quæ nisi citiùs radicitiùs evelatur, in jus privilegiorum assumitur; nunc verò manifesta veritate cedat consuetudo veritati. Sed ad hæc quis idoneus? quem mittam, & quis ibit nobis? Nemo, inquiunt, Domine, magis idoneus est ad correctionem Clericorum, quàm is, qui de vita Clericorum sanctam scripsit Regulam: ipse est Pater *Augustinus Regularium Magister*. Ad hæc quæritur *Augustinus* per exploratores & ministros, & cum non inveniretur inter alios Doctores, revelatum est cuidam in visione, quòd esset inter Seraphim ardentes dilectione; & Cherubim habentes plenitudinem scientiæ, cum illis tractabat de perfectione charitatis. Vocatus adest, ad unius jussionis vocem in auditu auris obedientiam præstiturus. Ecce, inquit Dominus, ecce ego mitto te ad homines seipsos amantes, ut evel-

E c 5 las,

las, & dissipēs, ædificēs, & plances, tibi datus est Spiritus Sapientiæ & intellectus, nec poteris causari cum Moysē, quod sis incircumcisus labiis; data est enim tibi facundia, ut, quod intelligas, commodè possis eloqui. Et ille, Domine, inquit, si Clericis istis sum necessarius, non recusō laborem, fiat voluntas tua, ecce ego, mitte me, libellum, quem spiritu tuo docente de vita Clericorum scripsi, deferam tecum, arguam eos, & statuam contra facies suas qualiter in communi & de communi vivere debeant, novam assumentes emendationem morum, præcipuè in castitate, obedientia, & communione rerum, proponam eis eas institutiones, quas pro regendis Clericis ab Apostolis mutuò accepi, fideles ab eis recepturus usuras, & Dominus prævalens prævalebit. Egredere igitur, ait Dominus, & fac ita. Sed viri potentes sunt, ait *Augustinus*, & prudentiores filiis lucis in generatione sua. Cui Dominus: Si timueris eorum potentiam, nonne ego sum fortis & potens in prælio, ego ante te ibo, & gloriosum terræ humiliabo. Si prudentiam eorum objicias, nonne ego sum, qui comprehendō sapientes in astutia sua? Tu etiam nosti, quod sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum, ne timeas à facie eorum, quia ego tecum sum. Ecce servus meus fidelis & prudens *Eugenius*, Petri Successor, descendit ad partes istas,



istas, spiritum consilii dabo ei, in accessu illius omnis sapientia eorum devorabitur, potestatem habet ligandi & solvendi, non erit, qui possit resistere sapientiæ & spiritui, qui loquitur per eum; devotus autem filius meus Christianissimus Rex Ludovicus accingetur spiritu fortitudinis, nec enim sine causa gladium portat, habet zelum Phinees & Mathiæ, si quis resistit tibi, percutiet eum in manu potenti & brachio extento. Cùm hæc agerentur, & secretiùs in consilio decerneret Dominus; nuntiatur Genovesæ Virgini fidelis sermo & omni acceptione dignus. Erat autem ipsa inter choros Virginum, sequens agmen & agnum quocunque iret; gavisa est in sermone isto, & in gratiarum actione coram se colligens procidit ad pedes sedentis in throno, ipsa cum senioribus coronam suam virgineam mittens ante eum: Benedictus es, ait, Domine, Pater cæli & terræ, qui abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis. Complacuit tibi dare locum sepulchri mei his, qui sunt pauperes spiritu, quibus promissisti regnum cælorum, verè hæc est mutatio dexteræ excelsi. Peracta gratiarum actione currit ad Reginam Virginum Virgo: Domina, inquit, de plenitudine Virginitatis & munditiæ tuæ porrige mihi, unde novis futuris Canonis meis formam candoris imponam, *linum* scilicet *candidum*, & ab ancilla tua Magdalena pec-

peccatrice postulabo lanam; ex lino tuum *superpellicem*, ex lana ejus *Cappam* fratribus meis conficiam, qui habitus est *Canonicorum Regularium* non solum proficiens, sed & sufficiens. In *superpelliceo* candor munditiæ, in *cappa* rigor pœnitentiæ, ut qui viderint eos *superpelliceis* indutos, dicant de eis, *candidi facti sunt Nazarei ejus*, cum respexerint *cappas* eorum, dicant de eis, *nigri sunt sed formosi filia Jerusalem*. Et ait Maria, vade, & sicut petisti, fiat tibi. Statim *Genovesa* Virgo accinxit fortitudine lumbos suos, ut manum suam mitteret ad fortia, & digiti ejus apprehenderent futura. Convocat in auxilium choream Virginum quarundam specialium virtutum, quæ in confectio-  
*ne linearum vestium* sint petiæ, multâ enim operâ opus est in præparatione hujus *lini*. Virgines ipsæ sunt pura intentio, prudens inquisitio, fluens compunctio, fervens meditatio, purgans confessio, fidelis oratio, jugis operatio, subtilis discretio, spiritualis communio. Per manus istarum Virginum *linum Virgineum* feritur, metitur, rigatur, siccatur, à stipula separatur, in fila extenuatur, textitur, inciditur, sinitur, & sic *superpellicem* nostram perficitur. Intentio seminat, inquisitio metit, compunctio rigat, meditatio exsiccatur, confessio à stipula separatur, oratio in fila extenuatur, operatio textit, discretio incidit, communio sinit. Habent singulæ

gula istarum Virginum binas laboris sui coope-  
ratrices & consortes. Intentio, quæ firmamen-  
tum est totius operis, prima procedit, cujus co-  
mites sunt humilitas & taciturnitas; humilitas  
humo semper proxima semen in terram jacet,  
taciturnitas operit, ne vel ab elationis tollatur  
vento, vel à volucris vanitatis comedatur.  
Inquisitio metere dicitur, quia qui munditiam  
appetit, sicut occasiones peccandi fugit, ita &  
causas & media continendi ubicunque & unde-  
cunque potest, inquit: huic adstant diligentia  
& vigilantia, diligentia manipulos colligit,  
vigilantia ligat & constringit. Compunctio in  
aquam mittit, ut madefaciat, cui duæ comites  
adstant frequentia & copia; frequentia rigat,  
copia mollificat. De prima dicitur: *Lacrymis  
meis stratum meum rigabo*, de secunda: *Quis da-  
bit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacry-  
marum?* Verè mollificatur, & in amorem Do-  
mini liquefcit anima, quæ copiosè ad suam mun-  
ditiam lacrymas effundit. Fervens meditatio ex-  
siccat, quia quidquid lubricum vel fluxum in-  
venerit, calore sancti desiderii decoquit, & de-  
vastat. *Concaluit*, inquit ille, *cor meum intra  
me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Me-  
ditationi adstant dilectio & devotio. Dilectio  
facit *linum calidum*, devotio *candidum*. Con-  
fessio à stipula separat, cum virtutes segregans  
à vitiis, virtutes tacet, vitia accusat; habet &  
illa

illa duas comites, quæ sunt severitas & veritas; severitas, quia qui confitetur, sibi non parcit, imo quasi ferro rigorem *lini* constringit, veritas nil abscondit, imò purgans & mundans omnia, stipulam omnino à lini substantia exsufflat, & excutit. Oratio in fila extenuit, quando rectè ad Deum preces emittens, Deum sibi reconciliat: *Dirigatur, inquit, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* Adhærent & huic duæ Virgines, supplicatio & gratiarum actio; supplicatio dona postulat, gratiarum actio donantem laudat; supplicatio meretur veniam, & gratiarum actio coronam. Illa tenet colum, ista trahit filum. In colo *linum* involutum & quasi confusum globo peccatorum scilicet, sed filo *linum* explicatur remissionis beneficio. Operatio texere dicitur, unde & vita nostra operibus occupata telæ comparatur, *succisa, inquit, velut à texente vita mea.* Duæ hujus coadjutrices sunt, conversio & conversatio; conversio orditur, conversatio filum filo coaptans continuè textit, & quia nescit homo, an odio, an amore dignus sit, quasi pendula tela est vita, sive operatio nostra, ut enim dictum à quodam,

*Omnia sunt hominum tenui penduntia filo.*

Solent textores inter lignum superius, & lignum inferius pendentem texere telam, unde Poëta

*Lassarétque duas pendula tela manus.*

Se-

Sedet operatio nostra inter lignum superius, id est, spem, & lignum inferius, id est, timorem. Quantum detrahitur timori, tantum additur spei, sicut contingit in illis duobus lignis, in quibus tela textitur, ut, quantum per involu- tionem additur alteri, tantum per evolutionem alteri detrahatur. Discretio incidit, ipsa est enim, quæ superflua resecat, & auget imminuta, ipsa nec modum excedit, nec infra subsistit, deser- viunt ei temperantia cohibens, & prudentia sup- plens, juxta illud Poëta :

*Est modus in rebus, sunt certi denique fines ;*

*Quos ultra citroque nequit consistere rectum.*

Communio ipsa est, quæ fuit ; facit enim unius moris habitare in domo, ipsa docet servare spi- ritus unitatem in vinculo pacis, ipsa facit, ut una sit fides mentium, & pietas actionum. Hæc habet duas præcipuas Virgines cooperantes sibi, quæ sunt veritas Sacramentorum, & unitas mo- rum. Altera communio Sacramentalis, altera communio societatis ; prima colligit omnes Chri- stianos Catholicos, secunda Religionis professos ; de prima dicitur in Symbolo *Sanctorum Commu- nionem*, secundam exprimimus in professione Regulari nostra, ubi præter emendationem mo- rum promittimus communionem bonorum.

Itaque perfecto *superpelliceo lineo* B. Virgo *Genovesa* sollicita de conficienda *cappa*, currit ad B. *Mariam Magdalenam*, postulans ab ea  
pæ-

pœnitentiæ *lanam*, nam & ipsa de *lana* capitis sui pedes Domini, quos lacrymis laverat, extersit; *lana* de carne nascitur, & pœnitentia in afflictione carnis exercetur. Dominus ait: quia dilexisti multum, dimittuntur tibi peccata multa: da mihi igitur, inquit ad eam *Genovesa*, De *lana* tua; nam etsi tu prius capra fueris, sed modo ovis facta es. De vase contumeliæ vas gloriæ facta, de *lana* tua *cappam* pœnitentiæ conficiam fratribus meis *Canonicis* novis, & plorabunt tecum ad pedes Domini *Jesu*. Nigra erit hæc *cappa*, quoniam hic color aptus est pœnitentiæ. Ad hæc *Magdalena*: Euge soror mea *Genovesa* Virgo Deo devota, quid à me petis, quod ipsa poteris præstare continuo filiis tuis: tu enim sequeris Agnum, ex quo *lanam* tuo instituto decerpas, & accipias; tribuatque ipse secundum cor tuum, & omne consilium tuum confirmet. Sume tamen, quod volueris de *lana* mea, ut, qui in Ecclesia tua deserviunt *Canonici*, ad condignos fructus pœnitentiæ moveantur exemplo meo. Sed ad compositionem *cappa* hujus, quam postulas, necessaria sunt opera superiorum Virginum; igitur debet *lana* tonderi, lavari, sicari, carpinari, filari, texti, incidi, ac sui. Per rectam intentionem tondeatur, per compunctionem lavetur, per meditationem siccetur, per confessionem carpinetur, seu purgetur, per orationem filetur, per operationem te-

xatur, per discretionem incidatur, per communionem suatur, & conservetur. Tingenda est ista lana nigro colore, qui convenientior est pœnitentibus, idque duplici tinctura, memoriâ scilicet mortis, & memoriâ extremi iudicii. Hac duo si cordibus pœnitentium profundius infederint, *cappam Canonicis Regularibus* convenientem habebunt; cor enim sapientum in tristitia est. Cui Genovesa: Beata es tu, & benedictus sermo oris tui. In hac voce *vestem lineam & cappam* tanquam vestem nuptialem secum de cœlestibus afferens *Genovesa, Religionis habitum* suis imponit. Et ecce impletum est in ea, quod de forti muliere dictum est: Non timebit domui suæ à frigoribus nivis: frigus est nivis congelatæ, & frigus nivis liquefactæ. Nix congelata est iniquitas inveterata, nix liquefacta ex luxuria inquinata: qui autem vestiti sunt duplicibus in domo Virginis nostræ, in *cappa* pœnitentiæ non timebunt frigus nivis congelatæ, id est, iniquitatem induratum, in *superpelliceo* munditiæ non timebunt frigus nivis liquefactæ, id est, luxuriæ iniquationem. Hac duplici veste regulariter induti, videamus, ne *superpelliceum* nostrum sordibus polluat, & ne *cappa* nostra scissuris rumpatur, ut per munditiam omni tempore vestimenta nostra sint candida, & per continuam pœnitentiam tanquam tunica talaris sit *cappa* nostra, Amen.

O. A. M. D. G.

Ff

IN-



# I N D E X

## Rerum & Materiarum.

### A.

**A**ugustini Patria & Parentes, fol. 136. Conversionis illius remora. 136. Adjumenta. 139. Locus. 140. Pugna. 141. Conversio. 143. Puritas conscientia. 146. Invitus Presbyter ordinatur, ac curam animarum suscipit. 149. Bina Clericorum Monasteria instituit. 150. & 155. Ejus vigilantia in munere Parochiali. 152. Episcopus communem sectatur vitam. 155. Ipsius mensa, vestes, vasa qualia? 156. Ejus humilitas. 158. Creditur cor ipsius fuisse sauciatum stigmatibus vulnerum Christi. 162. Cor Augustini cur elevatum pingatur? 184. Cur inflammatum? 186. Cur sagittâ transfixum? 188. Mira quadam de Corde S. Augustini. 190. Ob mortem Matris tristitiâ afficitur. 247. Funus Matris curat. 248. Ejus lachryma. 250 & seq. Ipsius paupertas. 167. Castitas. 170. Obedientia. 172. Preparatio ad mortem. 176. Zelus in procuranda proximi salute. 160. Amor erga Deum. 162. & 186. Ultimus morbus & mors subsequuta. 179. & 181.

Ala-



Index Rerum & Matèriarum.

Alani de Solminihac ex Can. Reg. Episc. Cadur-  
 censis amor intensus in Deum. 164. In rebus  
 arduis apud Deum auxilium querit. 142. Ejus  
 paupertas. 169. & 364. Fœminas fugit. 171.  
 Virginitatem illasum tenet. 172. Ipsiùs modèstia  
 intra & extra chorum. 206. & 318. Ejus so-  
 brietas ac temperantia. 213. Regulas & Con-  
 stitutiones sapiens relegit. 218. Observationem  
 Regule ac statutorum itentidem suis commen-  
 dat. 224. Omne genus lusuùm sibi interdixit.  
 228. Silentii observantissimus. 236. sermones  
 ejus sanctitatem spirantes. 243. Ejus spirituale  
 martyrium. 270. summè estimat vocationem  
 suam ad statum religiosum. 302. suos hortatur  
 ad hanc estimationem. 303. togam suam can-  
 didam maximo in honore habet. 355. ejus ca-  
 stitas. 379. studium affligendi corpus. 379. &  
 380. singulis diebus vota sua renovat. 415.  
 Votum quartum edidit faciendi in rebus ma-  
 joris momenti id, quod ad majorem Dei glo-  
 riam fore cognoverit. 415. singulis annis exer-  
 citia spiritualia semel ac iterum facit per 20.  
 dies. 415.

Alberti de Altissimi Can. Reg. solitudo. 138. or-  
 gani pulsandi peritus. 321. nec Matrem ad col-  
 loquium admittit. 386.

Albi coloris toga talaris quid significat. 351.

Alipius Possenhaimer Can. Reg. laqueos cilicinos  
 caligis insuit. 380.

Index Rerum

Almutia quid? materia illarum ac usus. 344.  
quid significat. 353.

B. Andreae Novariensis Can. Reg. amor paupertatis. 168.

Animarum regimen res periculosa. 149. & 150.

Animæ Defunctorum juvanda precibus ac aliis piis operibus. 198.

Annæ Huldinanz Can. Reg. vivendi ratio non nisi se affligendi studium. 382. non nisi ex obedientia mori voluit. 174.

Annuâ memoriâ recolenda dies qua quis amplexus est statum religiosum. 304.

Arnoldus Warwick Can. Reg. flebat dum de cœli gaudiis cogitabat. 250.

B.

Bernardi Blanci Can. Reg. studium mortificationis ac corpus affligendi. 381. & 382.

S. Bernardi Mentonii Can. Reg. abstinencia. 213. & 214.

S. Brigida Scota Can. Reg. virginitatis amore deformitatem à Deo precibus obtinet, ut nuptias effugiat. 287.

S. Brigittæ Viduæ Regulam S. Augustini servandam præter Constitutiones à se præscriptas præcipit Christus. 325.

C.

Camisia Romana quid? 340.

Canonicorum Regularium Origo. 259. in cunabula

la

& Materiarum.

- la sua debent Christo & Apostolis. 294. ipsorum munus, 152. quò zelo instructi esse debeant. 208. quomodo octo Canonicus dilatatus. 294. & 295. divisus in plures Congregationes. 298. & 299 excellit numero Ecclesiarum, Cœnobiorum, Martyrum, Sanctorum &c. 300. & 301. de fine & functionibus. Can. Reg. 309. de spiritu Augustini instructi esse debent, quis ille. 323.
- Canonici Regulares Congregationis Gállicana singulis annis bis sua vota renovant. 414.
- Capparum choralium descriptio, usus & quid significant? 343. 353. 348.
- Caroli Faure Can. Reg. ingens zelus animarum. 162. transgressiones Regula & Constitutionum acriter punit. 225.
- Caro inedia domanda, mens verò à vitiis cohibenda. 197.
- Canticum quid sit? 315.
- Cambio Bossio Can. Reg. sola recordatio Passionis Christi aut B. Virginis lachrymas ciebat. 253.
- Castitas quid? 372. Ministris Altaris apprimè necessaria. 170. ejus excellentia. 372. utilitas. 373. necessitas. 374. regula. 377. & seq. castitas S. Augustini. 170. contra eam quomodo peccetur. 388.
- Catharina à S. Augustino Can. Reg. plures animas ex purgatorio liberat. 249.
- Causæ cur lachryma fundenda? 261.
- Christum sequi quid sit? 288.

## Index Rerum

- Chorus quid sit?** 316. *chori officium Anglicum.*  
 315. *in choro quomodo cantandum?* 317. *quid*  
*in voce observandum, quid cavendum?* 319.  
**Cingulum S. Georgii Martyris adservatur in mo-**  
*nasterio S. Georgii Can. Reg. Augusta Vindelic.*  
 307. *à parturientibus piè pro felici partu ge-*  
*statur.* 308.  
**Cilicii gestatores & amatores recensentur.** 380.  
 & 381.  
**Claudii Sanctesii ex Can. Reg. Episc. Ebroicensis**  
*studium paupertatis.* 169. & 365. *ejus miseri-*  
*cordia ac liberalitas in pauperes.* 200.  
**Clerici in monasteriis à S. Augustino institutis vi-**  
*ventes vovebant tria vota & illa simplicia.* 150.  
**Clementia van der Strepen Can. Reg. dono la-**  
*chrymarum donata.* 255.  
**Colloquia pia valde movent.** 242.  
**Confessores quinam dicendi?** 273. *comparantur*  
*diversis rebus.* 273. *eorum dignitas.* 275. *præ-*  
*mia quibus à Deo donantur.* 276.  
**Congregationis Gallicanae nostrae exordia.** 299.  
**Conciones quomodo audienda?** 139.  
**Conversionis S. Augustini remota.** 136. *adjumen-*  
*ta.* 139. *locus.* 140.  
**Cænobium S. Crucis Augustanum particeps est**  
*omnium bonorum operum ac meritorum Con-*  
*gregat. Gallicana.* 307.  
**Cox S. Augustini cur pingatur elevatum.** 184. *cur*  
*inflammatum.* 186. *cur sagittâ transfixum.*  
188.

& Materialiarum.

188. de corde S. Augustini mira, 190. in corde S. Augustini olim corda ex ferro confecta attingebatur. 192. cordis S. Augustini elogium. 192. ad cor S. Aug. suspirium. 192. quomodo cor nostrum ei dicendum. 193.

Cor à Religiosis sursum tenendum. 185. & seq.  
Corolla divini amoris tribus decadibus constans. 62. & seq.

Corona in capite Clericorum insigne quid significet?

345. & 354. per coronam olim jurarunt. 346.

Corruptiones & correctiones patienti animò ferentia quid? 339. [da. 226.]

Cultus S. Augustini. à fol. 2. usque ad fol. 70.

Cultus S. Monica. à fol. 70. usque ad fol. 98.

Cultus SS. Can. Reg. à fol. 98. usque ad fol. 133.

Cura minimorum Religioso necessaria. 202. & 223.

Cura animarum Ord. Can. Reg. annexa. 321.

D.

Damna Castitatis violata. 375. & seq.

Damna inobedientia. 395.

Damna paupertatis violata. 362.

Descriptio Regulae S. Augustini. 326.

Detractio quid sit? 208. & 209. ejus malum. 209.

Defectus alior. quomodo ad superio. deferendi. 225.

Defuncti juvandi precibus, sacrificiis &c. 246.

Deus in rebus arduis consulendus. 141. & 142.

Dignitates & officia non ambienda. 154.

E.

Ebrietatis descriptio ex S. Aug. 212. & 213. Effectus illius. 213.

Ff 4

Ef-

## Index Rerum

- Effectus *lachrymarum S Monica.* 256.  
Exempla *duo mira Obedientia.* 399.  
Exercitia *spiritualia à viris Religiosis frequen-*  
*tata.* 410.

### F.

- Fœminarum *familiaritates & colloquia vitanda.*  
384. *etiam Religiosarum.* 385.  
Formula *renovationis votorum.* 418.  
Comes Fuggerus Franciscus Benno *in habitu Can.*  
*Reg sepeliri cupit.* 352.  
Functioes *Can. Reg. quales ?* 312. *eorundem suis*  
*præcipuus, ac ratio constitutiva quis ?* 311.  
Functio *potissima Can. Reg. post animarum curam*  
*est choro inservire.* 314. & 316.

### G.

- Gerlacus Petri *Can. Reg. gravissimas calculi do-*  
*lores lubens patitur.* 242.  
S. Gilbertus Sempinghamensis *Can. Reg. ob ni-*  
*mias lachrymas cæcus redditur.* 252.  
Guidonis Auduberti *Novitii Cancellarensis Can.*  
*Reg. Obedientia, non nisi iussus mori voluit.* 174.  
Guilielmus Vornken *Can. Reg. silentii observan-*  
*tissimus.* 235.

### H.

- Habitus *religiosus reverenter tractandus.* 347. *ab*  
*ipso omnis factus ac vanitas proscibenda.* 355.  
*Osculum ei imprimendum quoties assumitur,*  
*vel deponitur.* 356.

P. Hart-

& Materiarum.

P. Hartmanus ex Can. Reg. Episc. Brixinensis *lachrymatur ad aram. 251. cilicium asperimum gestat, flagello se quotidie à Sacellano suo cædillo curat. 383. recollectionis gratia sapius Neo-Celam Closter Neu. Stüfft secessit. 410.*

Henricus Manden Can. Reg. *largas fundit lacrymas dum Missam audit. 251.*

Hominem veterem exnere, & novum induere quid sit? 407. & 421.

Hugo à S. Victore Can. Reg. *purgatorium subire debuit, quod disciplinas corporales intermiserit. 148.*

Humilitas quid? 158. *ejus necessitas. 159. & seq.*  
Hymni varii de S. Augustino. 22. 31. 33. 37. 38.  
46. 47. 50. 51. 55. 57.

Hymni varii de S. Monica. 84. 86. 88. 91. 94. 96.

Hymni varii de SS. Canonicis Regularibus. 120.  
122. 124. 115. 127. 128.

I.

Jacobus Cerrutus S. J. *quotidie 3000. vicibus sua vota renovat. 416.*

Jejunii utilitas. 363.

Impudiciæ damna. 375.

Indiculus quorundam Sanctorum ex Ord. Can. Reg. *qui piè in certis morbis implorati beneficos se exhibent. 133.*

Innocentius Keferloher Can. Reg. & Decanus.  
Diessensis *sue distractione cantabat, & orabat,*

## Index Rerum

195. *silentii observantissimus.* 236. *modestia ipsius in choro.* 318. *urticas ad lectum deportat trunco culcitra loco utitur.* 381.
- Inobedientia *damna.* 395.
- Joachimus Endrys Can. Reg. *spinas pulvinari inseruit.* 381.
- P. Joannes de Parastra Can. Reg. *lachrymas fundit sub Sacrificio Missa.* 251. *regularum observantissimus.* 332.
- P. Joannes Ostrowicanus Can. Reg. Martyr. *Regule & constitutionum exactus observator.* 336. *aspiciendo religiosas suas vestes ad studium virtutis allicitur.* 347.
- P. Joannes Warnestum Can. Reg. *nullas comedias aut spectacula vidit.* 229.

## L.

- Labore opus, ut quis cælum obtineat.* 278. & 279.
- Labor iste qualis esse debeat?* 279.
- Lachrymarum efficacia.* 255. & seq. *earum non eadem causa.* 250. & seq. *earum prerogativa ac excellentia.* 257. & seq. *cur illa fundenda.* 261. *earum in S. Monica effectus.* 257.
- In Lecto quomodo jacendum?* 389.
- Leges paupertatis.* 363. & seq.
- Leges Castitatis.* 377. & seq.
- Leges obedientia.* 397. & seq.
- Libri spirituales quomodo legendi?* 139. & 144.
- Linea vestis Can. Reg. essentialis.* 338. & seq. *varie sumitur.* 339. *variae ejus formae accidentales.* 339. & seq. 440.

Lin-



& *Materiarum.*

*Lingua labile malum.* 231. *quid loquendum prius  
examinandum.* 231.

*Litaniæ S. Augustini ex Elogiis SS. Patrum con-  
fectæ.* 25.

*Litaniæ de S. Monica ex variis Elogiis juxta se-  
riem Alphabeti.* 81.

*Litaniæ de SS. Canonicis Regularibus.* 114.

*Loci & Ordinis mutatio multos fefellit.* 305.

*Ludovicus Moreau Can. Reg. inserviando Epidi-  
mia infectis moritur.* 243.

*Luxuriæ damna.* 375. & seq.

**M.**

*Marcus Rizzonus Can Reg. differens de B. Virgi-  
nis aut Passione Christi lachrymabatur.* 252.

*Maria à S. Francisco Can. Reg. in vivis adhuc pro  
expiatione pœnarum purgatorii plura sacra diei  
curat.* 246. *ejus paupertas.* 369. *ejus studium  
affligendi corpus.* 382.

*Mariam Virginem colendi.* 165. *Præses.* *ibid.* & seq.

*Martyrum excellentia.* 263. *felicitas.* 264. *gloria.*  
265. *fructus.* 266. *Martyres quasnam actiones  
exercuerunt.* 267.

*Martyres debent esse Religiosi carnem castigan-  
do & c.* 269. (269.

*Martyres efficiuntur Religiosi servando tria vota.*

*Medicinas non adhibere indicium est amanti pau-  
pertatem.* 370.

*Methodus quâ festum S. Augustini piè transigen-  
dum sit.* 67. Mi-

## Index Rerum

- Michaël Fischer Præpositus Rottenbuech assiduus**  
*mortis mediator capulum & saxum sepulchrale in vivis sibi confici jubet* 177. *ejus devotio qua viaticum sumpsit.* 182. *Ultima illius ad suos Canonicos verba.* 183. *studium paupertatis.* 365. *ejus amor castitatis.* 378.
- Modestix encomium.** 206. *Modestia in choro qualis?* 318.
- Monasteria sunt domus legendi & pœnitentiæ** 151.
- S. Monicae juvenus piè traducta.** 194. *precibus addicta.* *ibid.* à *S. Ambrosio laudata.* 195. *temperantia studiosa.* 196. *ejus misericordia in pauperes.* 197. *idea vite conjugalis.* 203. *in lingua non offendit.* 206. *ejus patientia* 209. *ejus sobrietas.* 210. *salutem filii cordi habet.* 211. *speculum viduarum.* 216. *virtutes illius in statu viduali exercita.* 219. & seq. *illius modestia in moribus & vestibus.* 227. *taciturna est.* 230 *colloquium ipsius paulò ante mortem ad filio Augustino habitum.* 240. *creditur cœlestia gaudia degustasse in hac vita.* 241. *mori extra patriam optat.* 244. *memoriam sui ad aram fieri desiderat.* 245. *lacryme ipsius.* 150. *in extasim rapitur sumpta Eucharistia.* 220.
- Mortis memoria semper tenenda.** 176. *utilitas illius.* 177. *ad illam piè ob eundam preparatio.* 179. *ne nos imparatos offendat ad laborandum.* 244.
- Mors S. Augustini.** 181.

Mo-

& Materiarum.

Morum pravorum emendatio. 214.

à Murmure abstinendum. 209.

Murmuratio commune jam vitium in religiosis domibus. 209.

In Musica vocali & instrumentali quid observandum? 313.

Mulieres Religiosis vitandæ. 171.

N.

Nicolai Guinetti Can. Reg. abstinentia. 214.

Nigra tunica Can. Reg. quid significet. 342.

S. Norberto apparet S. Augustinus regulam suam ei tradens. 325.

O.

Obedientia S. Augustini. 172. Obedientia quid?

Obedientia conditiones. 173. quodvis Obedientia

signum vox Dei est. 174. Obedientia elo-

gium. 175. Obedientia Regula. 397. & seq. Obe-

dientia fructus. 399. Obedientia etiam bonum

opus subinde postponendum. 204. ejus excellen-

tia. 390. utilitas. 394. damna in Obedient. 395.

Observationes chōrales quales? 320.

Oculi custodiendi. 377.

Officium S. Augustini parvum novum. 2.

Officium S. Monica parvum novum. 70.

Officium SS. Can. Reg. parvum novum. 98.

Orationis tam mentalis quàm vocalis elogium & necessitas. 195. & 322.

Orationes varia de S. Augustino. 22. 31. 33. 37. 38. 46.

47. 50. 51. 55. 57.

Orationes varia de S. Monica. 84. 86. 88. 91. 94. 96.

Or2-

## Index Rerum

- Orationes *bina pro bono statu Ord. Can. Reg.* 209.  
 Orationes *bina pro observatione votorum.* 419. & 420.  
 Osculum imprimendum habitui S. quoties assumitur vel  
 deponitur. 356.

### P.

- Paupertas religiosa quid? 358. ejus praestantia. 358. uti-  
 litas. 359. prerogativa. 361. Regula paupertatis. 364.  
 & seq. quomodo violetur. 365. & seq. paupertatis vio-  
 lata damna 362. Paupertas S. Augustini. 167. Pau-  
 peres juvandi à Pralatis. 200. (gnificat? 353.  
 Palliorum qua cappa vocantur descriptio. 344. quid si-  
 Perfectioni studere debent Religiosi sub peccato mortali. 147.  
 Petrus Forerius Can. Reg. nihil in consulto Deo agit. 142.  
 suos ut filios diligebat. 157. ejus summa humilitas. 100.  
 foeminas summè fugit. 171. qua devotione viaticum  
 sumpserit. 182. ejus sobrietas. 213. lachryma 253.  
 studium paupertatis. 367. & seq. rigor mortificandi cor-  
 pus ciliciis flagris. 380. Obedientia. 399.  
 Petri Mittman Can. Reg. studium colenda paupertatis.  
 169. ejus castitas. 379.  
 Pileol. sive Pirretum quid? 354.  
 Procuratores, Cellarii, Granarii, qui se gerere debeant  
 in administratione rerum temporalium. 370.  
 Prælatorum officium quale? 157. ipsorum tessera plus  
 amari, quam timeri. 157. Domesticorum sive famu-  
 litii diligens cura ab ipsis habenda. 221.

### R.

- Regula S. Augustini cur vocetur regula & speculum. 330.  
 ejus descriptio. 331. ejus elogia 331. & seq. finis illius  
 integra observatio. 329. quomodo ejus Professores obli-  
 get? 333. & 334. sapius relegenda. 224.  
 Regulæ paupertatis. 364. Castitatis. 377. & seq. Obe-  
 dientia. 397.  
 Religiosi in monasterio sint instar bona arboris. 140. non  
 se,

& Materiarum.

- sectentur delitias terrenas. 228. non quarant solatia humana. 241. & 242. qua ipsis fugienda. 146. qua cogitanda. 217. & 218. sint observantes legum Ecclesiasticarum & rituum sacrorum 222. à Religiosorum recreationibus, qui sermones prescribendi. 232. quibus de rebus in recreatione à Religiosis loquendum. 239. & seq. Religiosarum foemin. familiaritates vitanda. 384. & seq. Renovatio spiritus quid? 406. conditiones. 411. & seq. utilitas. 408. renovatio votorum quo tempore facienda. 414. & 418.
- S. Ripsimis & Sociæ Can. Reg. martyrium subeunt, ut nuptias evadunt. 287.
- Rochettum quid? 340.
- Romani Pontifices ex Ordine Can. Reg. plures. 300.
- Rosarium S. Augustini in quo varia petuntur virtutes. 14.
- Rosarium aliud brevius in honorem annorum, quibus vivit S. Augustinus pro morum conversione. 21.
- Rolarium divini amoris. 62.
- Rottullarum mortualium usus laudabilis. 249.

S,

- Sarrocium quid? 340.
- Seraphino de Torresinis Can. Reg. recordatio passionis Christi aut B. V. lachrymas expressit. 253.
- Silentii commoda. 233. elogia. 233. optimè in cœnobis introductum. 234. quomodo tempore silentii ob necessitatem loquendum. 235. illud nec charitatis obtentu vult violari Christus. 235. in Refectorio nec pratextu hospitum. 235. silentii violatores puniendi. 237.
- Simon Mayr Præpositus Ranshoviensis nullam medicinam sumit. 370. amur ejus in castitatem. 378, nec Matrens inter hospites monasterii admittit. 386.
- Ordinis Servorum primis Patribus apparet B. Virgo Regulam S. August. illis servandum tradens. 325.
- Speculum est Regula S. Augustini. 330.
- Spes in Deo collocanda. 222.

## Index Rerum & Materiarum.

- Sobrietatis encomium, 212. sobrietati studendum, 212.  
Somni nomine quid veniat? 384.  
Spiritus Augustini est spiritus lenitatis ac mansuetudinis,  
323. eo instructi esse debent Can. Reg. ibid.  
Statuta, Constitutiones quomodo obligent? 333.  
Superpelliceum quid? 340.  
Suspiria sub lectione spirituali sapius repetenda, 144.

### T.

- Tactus cohibendus, 377.  
S. Theresia de caelo suas filias silentii admonet, 235.  
S. Theotonii Can. Reg. victoria de foemina impudica re-  
portata, 385.  
S. Thomas Cant plures animas è purgatorio liberat, 249.  
Tituli honoratioros non ambiendi, 221.  
Toga talaris quid significet? 351.

### V.

- Valentinus Steurer Præpositus Weyarensis tumultum sibi  
ipso confecit, 179.  
S. Ubaldi Can. Reg. & Episc. Eugubini virtus in expel-  
lendis dæmonibus elucet, 276.  
Vestes Can. Reg. quales? 338.  
Vinum quomodo bibendum, 213.  
Virginitatis excellentia, 281. felicitas, 283. ejus custodien-  
da studium, 284. qua conferunt virginitatem, 286.  
virginitati unitam est martyrium 286 virgines abs-  
que sponso non sunt, 282, sequuntur agnum immacula-  
tum, 283, virginitatem Alanus de Solminihac Can. Reg.  
illibatam conservavit, 172.  
Vocatio ad statum Religiosum maximi facienda, 294.  
Votorum renovatio quid? 406. quo tempore peragenda,  
414. & 418. Formula renovationis, 418.  
Vox in choro qualis esse debeat, 319.

### W.

- S. Wilhelmi Can. Reg. Abb. rigor vivendi, 213. & seq.

F I N I S,

1111.

udenaw. 212.

manjuelini  
bid.

333.

enda. 144.

met. 23.

ona impudica re.

ria liberat. 249.

nis tamulm jii

virtus in cepl.

229. etu capdian.

virginiteres. 221.

226 virginat de.

agruu tamale-

luminat. Can. 20.

facienda. 224.

tempore peragat.

418.

218. 219.

S.







Ord u. Karl Ges. 257.

